
I. N. D. N. J. C.

DISPUTATIONEM INAUGURALEM JURIDICAM

DE

JURE FAMULORUM HODIERNO,

qt. veteri Servorum juri convenit, aut ab eo discrepat,



EX DECRETO

INCLUTI JCC. IN FLORENTISSIMA SALANA ORDINIS

PRÆSIDE

Viro Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo & Excellentissimo

DN. JOH. VOLK. Bechmann/

Hæreditario in Obern-Tröbra/ JCto & Antecessore hujus Academiæ famigeratissimo, Curiæ Provincialis, Scabinatûs & Facultatis Juridicæ Assessore Gravissimo, Dn. Patrono & Promotore suo æviternùm colendo,

PRO LICENTIA

Summos in utroque Jure honores & privilegia DOCTORALIA consequendi

publicæ Eruditorum ventilationi exponit

JOH. HEINRICUS ALBERTI, Geranus,

ad d. Sept. horis ante- & pomeridianis

in Auditorio JCTORUM

JENÆ Typis WERTHERIANIS, CIↃ IↃC LXXII.

ILLUSTRISSIMIS

COMITIBUS AC DOMINIS

COLLEGII COMITUM SS. IMPERII ROMANI VVETTERAVICI

AUGUSTISSIMI,

COMITIBUS ET DOMINIS SUIS
PERCLEMENTIBUS,

Cum voto tranquillissimi exoptatissimiq; Regiminis: ac felicissimi Consiliorum publicorum, ad præsentia imprimis per decennium ferè continuata comitia, ulterius conferendorum successûs, omnigenæque prosperitatis,

Inauguralem hanc de Famulis ac Servis Dissertationem, in humilimum devotionis symbolum dedicat

ILLUSTRISSIMARUM EORUNDEM EXCELLENTIARUM ac GRATIARUM

Subjectissimus Servus

Joh. Heinricus Alberti, Geranus.

I. N. D. N. J. C.

DE JURE FAMULORUM HODIERNO, quatenus veteri Servorum juri convenit, aut ab eo discrepat.

PROOEMIUM.

MUlti conqueruntur, præter vastitatem, quæ studio Jurisprudentiæ quasi propria est, exinde quoque nimium ejus studii Cultoribus tædium concitari, quòd occurrant tot obsoleta inibi & ab hodierno usu prorsus aliena, ut ea ferè dimidium devorent laboris, quem aliàs satis pertinacem exantlare habent studio huic dediti. Quicquid tamen sit, ab illis sanè, qui intimiora Astreæ sacella intrare penitiùs cupiunt, superanda erit fortiter illa molestia. Nec certè frustraneus erit iste labor. Respice enim Auctores, qui abrogata colligere fuerunt conati, & reperies, quòd sæpenumero illa, quæ unus pro universaliter abrogatis asserit, alter non nisi de istiùs autoris patriâ concedat, de suâ verò & aliorum non nisi contrarium demonstrans. Et sic respectu hujus omninò scienda sunt & sequenda veteris juris præcepta. Similiter stante hodie hypothesi, quæ veteri juri similis est, nemo non intelligit, quòd etiam ob similem decidendi rationem jus hodiernum juri veteri simile esse debeat. Quin etsi quoddam minùs utile in tractandis Majorum sancitis obrepserit, compensari tamen illud credendum est jucunditate illâ,

455.

quam communiter ex omni rerum antiquarum ſcrutatione excitatiora ingenia ſibi capiunt. Neque felicem in ſtudio Juris aut facilem ſibi progreſſum polliceatur omnino rudis eorum, quæ antiquata hodie dicuntur. Quotquot enim ſunt, qui Juris textus diligenter evolvere ſolent, non potuerunt non obſervasſe, in noſtri Juris Corpore perpetuò evenire, ut rebus & juribus hodierno ſeculo cognitiſſimis aliquid antiqui ſemper ferè ſit intermiſtum, ita ut vel ſubjecti locum aut prædicati teneat, vel argumentandi vis in eo ponatur. Quis verò ſine his omnibus veram textuum interpretationem eruere ſibi ſumat? Legendo potius & cogitando hærebit ubique his adminiculis deſtitutus. Jam quantum prudentia accreſcit Legislatoria, quantum augmenti capit deliberativa ſ. conſultatoria? dum antiquis inſiſtendo, jurium tot notabiles variationes, tot diverſas periodos & tantas ex ſe progredientes ac evaneſcentes iterum ſeries perſpicere, inque noſtri noſtræque Reipubl. inſigne emolumentum convertere datum eſt. Non autem frivolam iſtam & nimis anxiam de omnibus veterum crepundiis ſolicitudinem, ſed liberalem & in quendã uſum directam ſolertiã, hæc talia proferens intendo. Quot enim ſunt in jure, quæ antiquata in ſe licet ſint, ſuo tamen modo & prudenti conſequentia his noſtris moribus egregiè poſſunt applicari, à Dd. etiam applicantur quotidiè. Hujus rei exiguum dabo exemplum, ſed tamen ad Praxin faciens. Planum eſt Electoribus Imperii Rom. *A. B. t. 11.* interque eos Saxoni & Brandenburgenſi, Heig. *l. q. 4. n. 33.* Saxoniæque reliquis Ducibus. Pingizer. *q. 46. n. 34.* competere privilegium de non appellando. Hîc quæſtionem Aula Imperatoris & Camera movit: An, quod per modum Appellationis eò devolvi nequeat, poſſit devenire per viam ſupplicationis? Momenta iſtius quæſtionis ex profeſſo perſequi, huc non pertinet. Tantùm quoad ſcopum noſtrum ſciendum eſt, Aulam & Cameram, quique pro his defenſionem ſuſcipiunt, ut Gail. *1. obſ. 135. n. 4. §. 23.* in ſuas partes vocare exemplum quoddam ex Jure Juſtinianeo petitum, Præfecti ſcil. illius Prætorio, à quô cum appellari non poſſet, ſupplicare tamen licebat per conſtitut. Dioclet. & Maximiani *in l. un. C. de ſent. Præf. Prat.* Quo

ſanè

ſanè textu motus B.Carpzov. initiò ipſe cum Camera feciſſe vi-detur *in tr. de L. Reg. c. 9. ſect. 7. n. 19. ſeqq.* qui verò idem hac de re melius edoctus, poſtmodum mutatâ ſententiâ pugnav[it] contra Cameram *in diſſ. de privil. Elect. & Duc. Saxon. de no[n] appell. th. 68.* Quis vero ex *d. leg.* vim argumentandi ſive ad-ſtruet ſive elidet, niſi cui ex antiquato Juſtiniani Jure bene con-ſtat de conditione & jure tum in genere Magiſtratuum ejus æta-tis, tum ſingulariter laudati Præfecti Prætorio. Tales autem translationes ex veteri jure ad hodierni ſeculi mores in aliis quoque materiis dari quàm plurimas, ſciunt, quotquot Docto-rum ſcripta paulo intentiori curâ perluſtrant. Quò & latiſ-ſimam perque totum jus ſe porrigentem materiam, quæ de ſer-vis eſt, referendam puto. Ut enim taceam, ſervos perinde ac res alias in commercio humano fuiſſe, ac proinde de illis va-ria paſſim jura prædicari, quæ in genere ad dominium, poſſeſ-ſionem & contractus, aliaque Jurisprudentiæ momenta perti-nent; vel hoc certè conſtat, inde etiam ad ruſticos, colonos ad-ſcriptitios, proprios homines pro ſtatus hodierni conditione paſſim argumenta depromi. Noverunt imprimis benè Roma-næ fidei Doctores ſuas de Monachis diſceptationes non ſine per-commoda analogia hinc inſtruere & declarare, uti teſtis eſt præ-clarus ex eorum numero Scriptor Franc. Duar. *in partit. meth. Tit. ff. de Verb. oblig. pag. m. 799. col. 1.* Quin & ad famulos & mi-niſtros libertate hoc ſeculo non minori, quàm ipſi heri gau-dentes, tamen ſervorum vetera jura adhiberi, inque ſuis termi-nis applicari poſſe, Doctorum ſchola unanimiter confirmat. Vid. Joh. Herm. Stamm. *de ſervit. perſon. lib. 2* Alex. *vol. 3. Conſ. 75.* Adeoque abrogata juris veteris præbent adhuc hodie in hy-potheſi proportionali etiamnum vigenti fundamentum deci-dendi proportionale, quod præter allegatas variæ teſtantur ma-teriæ. Ut ergo hactenus pro jure vetuſtiori dictis fidem ipſe facerem, conſtitutum eſt, id ipſum de Miniſtris ſ. famulis hodier-nis, uſus quotidiani thema, jam proponere, & quid hujus ex veteri ſervorum jure, & quatenus in hodiernum orbem derivari poſſit ac transferri, non ſolum conquirere, ſed & cætera, quæ ad hunc tractatum pertinere videbuntur, congerere. Quem no-

456

ſtrum laborem eò magis acceptum fore confidimus, quòd iſta hæc materia, quantum nobis quidem conſtat, ſuâ methodo incluſa, certè non ad noſtri ſcopi ſimilitudinem efformata, tenus hac in publicam lucem nullibi prodierit.

Tu, LECTOR BENEVOLE, dum præſentes chartas Tuo contuitu forte dignaberis, id quæſo mihi præſta, quod in judicandis Tuis & ego lubenter facio, & alii omninò facere debent, nimirum æquum affer animum, & boni conſule, quæ pro illo virium modico hic conſcripſi, & cum DEO ac die meliora his expecta. TIBI verò, TRINUNE DEUS! prima omnis juſtitiæ origo, per Jeſum Chriſtum, alteram illam miſericordiæ ſcaturiginem, humilimâ mente ſupplico, ut ſcribenti manum Tuo Spiritu clementer dirigas, nec, quantum ejus impetrare humana imbecillitas valet, quidquam divinæ Tuæ Juſtitiæ repugnans vel hocce ſcripto Juridico, vel unquam aliàs, me cogitare, aſſerere aut dare effectui ſinas.

CAPUT I.

De Generalibus quibusdàm præcognitis.

§. 1.

MOri magis, quàm genio indulgentes priùs de nomine quædam virgulæ Grammaticorum Cenſoriæ ſubdenda eſſe agnoſcimus. Et quidem quoad vocabulum Servi, unde deſcendat hoc, non una inter eruditos eſt opinio. Qui non admittunt, quòd primitivum ſit, dicunt illud originem ſuam debere Græcis, ut Theſ. ſeq. monebitur, quæ derivatio accuratiſſimo Scaligero placet, teſte Bachov. ad Treutl. *vol. 1. Diſp. 2. th. 3. lit. a.* Ipſe Bachov. cum Ant. Fabr. *in Jur. Pap.* deducit à ſerviendo. An hoc probandum ſit, non ſine rationabili cauſa in dubio relinquimus. Sufficiat nobis hac vice, ſi non Etymologiæ, tamen alluſionis Juridicæ loco, quòd Tribonianus §. *3. Inſt. de jur. perſ.* Florentinus *l. 4. §. 2. ff. de ſtatu hom.* Pompon. *l. 139. §. 1. de V. S.* & Auguſtin. *19. de Civ. Dei. 15.* nomen Servi à ſervando ducant, exinde, quia Imperatores (Belli duces, puta,

puta, ficut & Theophilus *ad d. §. 3.* τοὺ πολέμων ἡγούμενες vertit) captivos vendere, ac per hoc servare nec occidere solebant. Vendebant autem ideo fortè, ut sicut ex cæteris rebus captis, ita & ex ipsis hostibus in potestatem jam subactis, damnum bello proveniens resarcirent quodammodo & compensarent. Hinc in Basilicis libris servi in spem, κατ' τῆς ἐλπίδος τῆς πράσεως servari dicuntur. Unde & Horatius:

Vendere cum posses, captivum occidere noli,
Serviet utiliter &c.

§. 2. Ad idem quidem iterum collimat Hotomanni opinio, captivos, inquientis, tamdiu asservari solitos fuisse, donec lytro & pretio soluto redimerentur. Prodit se tamen & hic nævus viro isti cæterà non aspernando quasi connatus, dum Justinianum in omnibus ferè carpendo propriam quasi laudem sibi ducit. Ne ergò vel in hac minima re Grammaticali assentiri Justiniano necesse haberet, hinc pro eo, quod Imperator *vendi* captivos dixit, ille substituit *redemptionem per lytrum*, atque cùm à τοῦ *servare*, i. e. vitæ parcere, nominis servilis notationem petat Justinianus, ille à τοῦ *asservare* h. e. custodire tamdiu s. sustentare, donec fiat redemptio, derivationem sumit. Quasi verò toto cœlo Imperatoris & Hotomannica opiniones differrent. Quin planè commentitiam hanc Hottomanni rationem proclamat Bachov. *ad d. § 3.* qui ipse tamen ideo in cæteris ne tantillo melius in Imperatorem se animatum ostendit. Scaliger, uti jam supra *th. praec.* monitum, *conject. in lib. V. Varron. de lingu. Latin.* ex Græcia hujus voculæ fontem ducere conatur, dum Æolicè ἔρϐος famulum denotasse asserit, ex quo in locum spiritus asperi succedente sibilo S, primò τὸ *Serfus* per F, sicut & antiqui scripserunt, & deinceps F in V. mutato, usitata vox: *Servus* prodierit.

§. 3. Severo huic vocabulo aliud in idiomate Latino æqualiter respondens vix habemus, nisi quòd mancipia interdum etiam vocentur. § 4. *Inst. de jur. person. l. 5. §. 1. ff de stat. hom.* quòd manu capiantur. Ludw. *Ex. 1. th. 17. lit. a.* Impropriè tamen famulus à Leone *l. jubemus 4. C. de præpos. sacr. cubic. & alibi*, item minister, à Constantino *l. 29. C. ad leg. Jul. de adult.* pro servis

accipiuntur. Græcis per δοῦλον communiter exprimi, quod Latinis servus est, nemo nescit. Vernaculæ linguæ aliud non suppetit vocabulum, quod Latinam servi significationem aliquatenus exhauriat, quàm illud usitatum adhuc hodienùm: Knecht/ quamvis quoad hodiernum usum dubio caret, vocabulum Knecht multò benigniori sensu capi, quàm ut duræ isti servitutis conditioni possit æquiparari, Quod verò nec de veteri loquendi ratione ista vocula Knecht veris servis proprie applicetur, credere me facit, quod Zasius *l. 1. singul. respons. c. 3, n. 76. seqq* asserit, & probabile etiā est, Romanorū nempe & Gentium servitutem nunquam vidisse Germaniam. Quod ipsum confirmare videtur notabilis textus in LandR. *l. 3. A. 42. n. 2. ibi:* Do man auch das Recht von allererst saşte / do was auch kein Dienstmann: Und es waren alle Leuthe frey / da unsere Vorfahren zu Lande kamen. Et paulò inferiùs: Wir haben auch noch in unserm Recht/daß sich niemand zu eigen geben mag. Ut ita videatur, nec Majores nostros nomen indidisse rei ipsis planè incognitæ. Quia tamen vel maxime vicinorum populorum servos, atque si ex his nonnulli ad ipsos (Germanos) pervenerunt, nomine quodam signare nostris Majoribus necessum fuit, non potuit non illud vocabulum Knecht hunc in usum transferri. unde fluxit, quòd insignis sit differentia inter Leibeigen- & Knechtschafft. Nam secundum Sebastianum Franckium in der Keyser Chronick/ *fol. 21. à pr.* heist Leibeigen seyn / gleichwohl eigene Güther haben/ aber seinen Leib nicht dürffen verrucken unter eine andere Herrschaft/ ohne seines Herrn Vergunst und Willen; Knecht aber/ welche die Wallachen Schlaven nennen/sind mit Leib/Weib und Kind/Haab und Guth ihres Herrn. Unde initium sumsisse videtur illud Germanicum: Er ist mein / ich mag ihn sieden oder braten. Pruckmann. *de Regal §. soluta potestas. c. 1. n. 105.* Speidel. *sub voc.* Leibeigne Leut *&c.* Hincq; porrò negari nequit per voculam die Knechte famulos ex viliori sorte, sicut per Diener ministros honestioris conditionis à Superioribus nostris indigitatos, eamque ipsam distinctionem quoque ad nos eorum posteros translatam fuisse.

§. 4. Hodie igitur famuli, familiares, ministri, aliisque,

 si quæ

ſi quæ ſunt, nominibus, non verò propriè *servi* appellantur illi, quorum operis in rebus œconomicis & aliàs expediendis utimur, poſtquam nimirum non ſolum in noſtra Germania, ſed & toto ferè orbe Chriſtiano priſtina ſervitutis durities exulare juſſa fuit. Eos ergò, qui hodie miniſteria nobis præſtant, quorumq; jura hac diſſertatione excutimus, inſcriptio noſtri diſcurſus famulos appellat, idque ad ſimilitudinem Gloſſ. Ordinar. German. ad LandR. *lib. 2. a. 33. n. 3. ibi*: Von freyen Leuthen / welche uns ümb beſtimten Lohn dienen / und zu Latein famuli, das iſt / Diener heiſſen. Neque tamen ab uſu hodierno alienum fuerit, ſi & hos nomine *ſervorum* paſſim indigitaverimus, cum & jam olim Salycetus *ad l. ob æs. 12. C. de obl. & act. num. 1.* ſervitutem conſtituerit duplicem illiberalem & liberalem. Hanc ergò poſteriorem, impropriè tamen ita dictam, ſervitutem qui ſerviunt, deſcribimus, quòd ſint *miniſtri familiares ad operas domeſticas in certum tempus conducti.* Germanicè vocantur Dienſtbothen / ſub quo vocabulo comprehenduntur omnes illi, qui operas domino pro certa mercede & victu præſtant, ſive ſint mares, ſive fœminæ, nullo diſcrimine, quid officii ſervitiique præſtent. Dn. Mev. *ad Jus Lubec. lib. 3. tit. 8. art. 5. n. 1.* Aliàs dicitur das Geſinde.

§. 5 Diximus: *Miniſtri.* Latiùs enim hæc vox patere, quàm *famulorum*, videtur, & ita quodammodo generis vicem ſuſtinere poteſt. Neque enim miniſtrum hìc in ſtricta ſignificatione accipimus, quatenus opponi poteſt famulo, ut dignior viliori *(vid. S. §. 3. in fin.)* Et proinde nec vocabulum famuli eò coarctamus, ut tantum ſortis deterioris miniſtrum præſenti diſcurſu per eam vocem intellectum velimus, ſed eum, qui omnis generis officia, honeſtiora non minus ac ſordidiora præſtat, Commodior enim ſe vox offerre Latina non videbatur. Cæterum Doctores ad manuductionem Marciani *in l. Sulpitius 49. ff. de donat. inter vir. & uxor.* & inter hos primus fortè Bartolus *ad d. l.* nudum miniſtrum appellant eum, qui nullum ſentit commodum ex negotio geſto. Sed ea acceptio multo minus ad ſcopum noſtrum quicquam faciet. Porro ſexum denominavimus in noſtra deſcriptione ſolùm nobiliorem. Hic enim ſequio-

quio- 458

quiorem & fœmininum includit. *per l. 1. ff. de V. S.* ficut & ab Ulpiano Servi appellatio etiam ad ancillam refertur, *in l. 40 §. 1. ff. d. t.* Hinc colligunt Dd. quod fermo mafculinus etiam fœmineum contineat tum in contractibus. *l. 1. de V. S. l. 3. §. 1. de negot. geft. l. 35. ff. de pact.* tùm in teftamentis *l. qui duos 62. in fin. l. fervis legatis 81. pr. ff. de leg. 2. l. 16 pr. & §. 1. de hom. lib. exh.* tum etiam in fententiis, ftatutis & Refcriptis. *c. fignificavit X. de refcript.* Cœpoll. *ad l. 1. de V. S. n. 18. &c.* Tiraq. *Gloß. 9. n. 205. & feq.* ubi plauftra Doctorum & amplam allegationum proponit farraginem. Add. Wiffenb. *ad tit. de V. S. difp. 1. §. 9. feq.* qui ampliationes & limitationes varias hujus afferti exhibet.

§. 6. Dixi 2. *familiares.* Ad familiam enim focietas quoque herilis refertur à Politicis. Et jam olim ficut domini patresfamilias, ita fervi abfolutè familiares appellati fuerunt, ut docet Seneca *6. Epift. 47.* & Macrob. *1. Saturn. II, 1.* Excludimus autem hac voce tum eos, qui *Reipubl.* minifteriis fe dedetunt, five in altiori, five in media five in viliffima forte conftitutos, tum eos, qui aliunde ad præftandas nobis has illasve operas aliquando accerfuntur, neque ideo in familia conductoris cenferi debent. Benè tamen multa etiam ad hos fuo modo applicari poffe ex eis, quæ dicturi fumus, non diffitebimur. An vero & famuli Studioforũ in Academiis, qui æque ac Dominĩ artibus liberalibus funt addicti, huc pertineant, item Pædagogi & fobolis informatores domeftici, quæri poffet? Et licet iftius generis homines liberalioribus artibus imbuti, honeftiori in conditione meritò habeantur, quàm ut communi illo famulorum nomine, prout ufus vulgaris id valere jubet, infigniri queãt; quia tamen jam *præcedenti th.* monuimus, titulum hujus Differtationis per famulos non eos faltem indigitatos voluiffe, qui viliora ferviunt fervitia, fed fenfu laxiori & eos comprehendere, qui honeftioribus adhibentur officiis, illi ægrè non ferent, quòd ad præfentem Difcurfum eorum jura, fuo modo, & quoad partes imprimis ipfis favorabiles, relata velimus. Unde & B Carpzovius privilegium illud prælationis, quod famulis debitoris mercedem inter prima debita exfolvi jubet, de quo inferius §. 38. plura dicentur, etiam ad pædagogum extendit, qui in ædibus

bus & convictu debitoris constitutus, ad informandos liberos debitoris certâ mercede conductus est, *p. 1. c. 28. d. 26.* ubi & Lipsiensi præjudicio *de anno 1630.* id confirmat, ita incipienti: So werden die Gläubiger in folgender Ordnung bezahlet: als zum ersten der Kinder Præceptor, Peter Portius 120. fl. &c.

§. 7. Dixi 3. *ad operas domesticas.* Si quos ergò ad alia officia, quæ domestica non sunt, v. g. ad procuraturam in Judicio, sive Advocatiam præstandam, obligatos quis habeat, eos huc non trahimus. Jam enim satis ampla domesticorum ministeriorum se exhibet varietas, ut metere in segete aliena non sit opus. Nobis hac occasione ex multis famulitiorum generibus pauca, eaque Justinianeo jure maximè celebrata, recensuisse sufficiat. Inter præcipuos igitur servos Romanis erant Atrienses, quorum meminit Alphenus *l. in lege censoria 203. ff. de V. S.* item Ulpianus *l. in instrumento 8. ff. de instruct. vel instrum. leg.* De horum quidem officiis variant. Nostram sententiam breviter explicabimus. Atrium, à quo dicti Atrienses, proximum erat à janua, uti colligendum ex M. Vitruvio, illo architecturæ veteris Scriptore, *lib. 6 c. 10. p. m. 160.* In his atriis autem Patresfamiliâs supellectilem suam expositam habebant, veluti escaria & potoria aliisque usibus inservientia vasa, teste Columell. *lib 12.* sicut & hodienum in quorundam ædibus fieri observamus. Horum igitur non minùs ut ipsius atrii cura propriè videtur ad Atrienses pertinuisse. Et quia ostentationi ac splendori externo nimiùm quàm dediti erant Romani, hincque res illæ in atriis spectatum expositæ maximi sæpè erant pretii, quin & aliquando, referente *Catone*, pecuniæ aliaque pretiosiora ibi asservari solebant; Hinc factum, ut non nisi fidelioribus & circumspectioribus atrii cura demandaretur. Porrò cùm inde auctoritas quædam conciliaretur istiusmodi servis, hinc præ cæteris honestiores passim illi audiunt. Quin etiam ob dexteritatem in ipsis præsumptam non improbabile est, quod Alciatus *de V. S.* asserit, communiter & alia principaliora negotia, aliquando & quoddam imperium in reliquos servos ad Atrienses simul spectasse: sicut è contrario servis, Mediastinis nuncupatis, infima ministeria & obviæ quæq;

 sun-

459

functiones, quemadmodum apud nos forte den Hausknechten/ Hausmägden/ injungebantur; de quibus Connan. *com. lib. 2. cap. 2.* Hodie si, quod simile Atriensibus sit, famulitii genus foret denominandum; vix invenire id possem, nisi fortè in Magnatum aulis quærerem, qui habitationem sibi eligentes, non rarò certas personas ordinant, qui locum habitationi destinatum, priusquam ingrediatur Dominus, rectè accommodent, supellectile nimirum & ornamento congruis palatium expoliendo, quod vulgo dicimus die Wohnung oder Gemächer mobliren.

§. 8. Porrò quoque servorum Topiariorum singularis erat functio apud Romanos. Eorum meminit Ulpianus *l. 8.* & idem ex Celso *l. 12. §. idem respondit 42. ff. de instr. leg.* nec non Alphenus *l. cum quæreretur 60. ff. de leg. 3.* Topiarii autem constituti erant in viridariis Romanorum, non quidem, ut cæteri olitores, sed qui juxta Plinium *lib. 3. epist. ad Calvis.* sciebant, formas ex plantis, fruticibus ac arboribus efficere, variasque ex his, subtiliter compositis & plicatis, figuras exprimere, item juxta Firmic. *lib. 8. Mathes. c. 10.* virides porticûs in circulum flexis vitibus extruere. Ars ipsa vocatur Topiaria, Kunst- oder Lust-Gärtnerey/ & nomen sortitur à topiis, τοπείοις Gr. ut vult Hotom. h. e. funiculis, quibus quippe opus est, ut sequaces & flexiles herbæ ac frutices, v. g. arbores buxeæ, hederæ & similes vinctæ loco suo se teneant, neque resiliant. Hanc ipsam artem adhuc hodienum passim exerceri in hortis, & ipsos etiam hortulanos sæpè in ipsa familia heri, cujus est hortus, etiamnum constitutos esse deprehendimus.

§. 9. Distinguuntur item Servi à Pomponio *l. 166. ff. de V. S.* in urbanos atque rusticos, quatenus ii nimirum vel urbanis vel rusticis destinati erant functionibus. Et notandum, quod *d. l. 166.* inter urbanos, etiam Insularius referatur, qui scil. ut idem Pomponius *l. si ita 16. §. 1. ff. de us. & habit.* declarat, custos alicujus insulæ præpositus est. Insula autem tunc neque marina, neque in fluvio nata, ut eam dividit Marcianus *l. etiam ea 17. pr. ff. de leg. 3.* denotatur; Sed Insula tum est ædificium, quod proprio ambitu constat. Gœdden. *in d. l. 166. n. 8.*

p. m.

p. m. 996. quæque vicinorum parietibus non conjungitur, ut ait Festus, sed circuitu publico aut privato cingitur, nomine ducto à similitudine earum terrarum, quæ undique aquis circumdantur. Taliumque insularum Romæ magnam fuisse multitudinem, tanquam tutiorum ab incendiis, affirmat Connanus *l. 2. c. 2. n. 5. & l. 4. c. 10. n. 10.* Eamque ipsam ædificandi rationem post incendium Neroneum cœpisse, argumento est, quod Tacitus *Ann. XV. c. 43 §. 4. junct. §. 1.* scribit, ipsum Neronem constituisse, ut dimensis vicorum ordinibus, & latis viarum spaciis, cohibitâ ædificiorum altitudine, ac patefactis areis, additisque portibus, quæ frontem insularum protegerent, non communione parietum posthac, sed propriis quæque domûs muris ambirentur. Et Fabinnus apud Senecam *controvers. 9. lib. 2.* ante ipsam deflagrationem veteris structuræ modum ita reprehendit: Tanta altitudo ædificiorum est, tantæque viarum angustiæ, ut neque adversus ignem præsidium, neque ex ruinis ullum ullam in partem effugium sit. Hodiè ergò præter eas domûs, quæ separatæ circum circa à cæteris etiamnum aliquando in civitatibus jacent, illæ etiam non incommodè insularum appellatione possent signari, quæ quidem se invicem, sed tamen muro διζιπύρῳ (Brandtmauer) interducto, contingunt, & insularius erit ille ex famulis, cui talis domûs, & per Synechd. cujuslibet alîus inspectio concreditur. Nam & insula pro domo in genere aliquando accipitur, teste Connano *l. 2 c. 2. n. 5.* ubi & ait: Insulariis ii similes sunt, qui nostra (p. Gallica) linguâ Conciergerii nominantur. Est autem un Concierge Gallis, cui arx & ditio quædam committitur, Germ. ein Verwalter oder Ambtmann/ dem ein Schloß oder Gebieth anvertrauet wird. Jam possemus adhuc plura ministeriorum genera, ut Amanuensium, Dispensatorum & aliorum ex elegantiori literatura huc accersere, sed verendum, ut talia profusè congesta lectorem offendant. Docebit usus chartâ fidelior cæteras famulationis species. Nos ad reliqua Descriptionis nostræ verba declaranda properamus.

§. 10. Diximus 4. *in certum tempus*; per quod non modo certam & determinatam, sed & quadantenus prolixam no-

tabilemque temporis periodum significare voluimus, ne quis descriptioni nostræ obtrudat quoque eos, qui ad dies aut menses aliquot paucos, servitia nobis præstant, simulq; per istud temporis spatium mensâ & ædibus nostris utuntur. Hi enim operariis atq; mercenariis, non obstante victûs præstatione, accensentur rectiùs. Nostræ descriptioni hac in parte accedit Policey Ordnung Sereniss. Elector. Joh. Georg. II. *de anno 1653. t. 23. c. 2. §. 1.* ibi: Wiewohl das Gesinde in gemein nicht auff ein viertel oder halb Jahr gemiethet und angenommen werden soll &c.

§. 11. Denique famulos nostros descripsimus 5. quòd sint *conducti*. Si qui enim ex cognatis forte amicisvé personis apud nosmet commorantur, alimentaque capiunt, & pro isthoc beneficio varia hinc inde in re familiari subeunt officia, quod evenire solet haud infrequenter, eos propterea famulorum ordini regulariter non annumeramus, sicut nec liberos parentum familiæ sua ministeria accommodantes. Ex gratitudine potiùs, quàm quòd conductæ sint ad hoc, nominatæ personæ suas operas hero præstare intelliguntur. Hinc est illud præjudicium Scabinatûs Lipsiens. quod affert Carpzov. *p. 1. c. 28. d. 31.* in causa Hansen Fausts zu Görlen / M. Febr. 1635. ita sonans: Daß die Kinder aus ihrer Eltern Verlassenschafft / dannenhero daß sie ihnen im Alter zur Hand gangen / und mit Arbeiten die Haushaltung fortsetzen und bestellen helffen / vor andern Creditoren Liedlohn zu fodern nicht berechtiget / V. R. W. Breviter: eos propriè sub Disputationis incudem vocamus, qui Germanis das Gesinde appellantur, & herili imperio subjacent, alios verò non, nisi quatenus similitudo seu par atque conveniens ratio id permittit.

CAP. II.

De statu Servorum ac Famulorum absoluto & relato, ut & de modo eos constituendi.

§. 12. Superatis hisce generalioribus & partim exotericis, quæ pro more tamen erant præmittenda, nunc ad ipsam tra-

tractationem devenimus. Notant verò JCti accuratiores, dum Servorum materiam exhibent, conditionem ipsorum duplicem, vel Absolutam vel Relatam. Absolutè considerantur ratione sui ipsorum, quatenus libertate naturali, *l. 4. ff. de J. & J.* sunt privati. Quemadmodum enim se habet peregrinus in civitate speciatim, cujus civis non est, quòd scil. ei non competat jus illius civitatis (das Bürgerrecht derselben Stadt) ita se habet servus in civili societate generatim, quòd nimirum nec illo communi jure inter homines liberos (des Völckerrechts) frequentato, adeoque per consequens nec Romano, nec alius cujusdam singularis civitatis jure frui queat. Hinc in Justinianeo Corpore omninò habentur pro mortuis. *l. 209. de R. J. l. 69. de condit. & demonstr.* Loriott. *de J. art. tr. 5. de mort. ax. 5.* quin etiam pro nullis, *l. 32.* & propterea neque obligari aut obligare, *l. 22. ff. de R. J.* neque in judicio stare, *per l. non idcirco 44. §. 1. de judic. & ibi* Bartol. neque testes esse, *l. 8. l. 11. auth. si testis C. de testib. N. 90. c. 6.* neque testamentum condere, *l. 8. ff. qui test. fac. poss* neque ullum aliud civilium negociorum peragere *d. l. 32. de R. J.* permittuntur, sed quadrupedibus potiùs ac pecudibus exæquantur. *l. 2. §. ult. ff. ad L. Aquil.* Gothofr. *in nót. ad l. 3. de cap. min.* Festivè hanc in rem P. Gregor. Tholosan. *28. Synt. c. 5.* dicit: Sit servis rostrum suillum (i. e. non fastidiosi sint palati) aures asininæ (i. e. patulæ,) manus explanatæ (i. e. non furentur) & pedes cervini. Add. Hillig. ad Donell. *l. 2. c. 9. lit. Q.*

§. 13. Cùm ita omnibus servi juribus destituti sint, ut nec quicquam sibi habere possint, sed potiùs ex ordine liberorum hominum, ad res, quibus homines pro lubitu suo utuntur, detrusi & ferè in earum jam rerum censum relati sint, quæ sunt propter homines, hinc altera servorum consideratio emergit, quâ dicuntur in conditione esse relatâ, sc. respectu habito ad dominos, quorum sunt servi. Et hoc iterum duplici modo. Dominus enim servo utitur vel tanquam re aliâ quâvis, e. g. vendit, donat, dat doti &c. vel tanquam ministro seu infimâ personâ familiæ. De priori modo non sumus hîc sollicit, sed de posteriori. Et eatenus eleganter depingit servum Aristote-

les, quod sit ὄργανον ἔμψυχον, λόγου κοινωνοῦν, πρακτικὸν, χωριστὸν, μὴ αὐτοῦ, ἀλλὰ ὅλως ἄλλου, *1. Pol. c. 4. & 6.* h. e. *instrumentum animatum, rationale, activum, separatum, non sui ipsius, sed in totum alterius.* Nam licet fateamur, quòd herilis societas tam severum dominium, adeoque rigorosam famuli definitionem non præcisè efflagitet, sciendum tamen est, quod Aristoteles servum secundum statum servilem ibi describat, imò & moribus sui temporis inserviat, quô maximam partem ad familiæ officia adhibebantur homines libertate privati ac proprii. Atque huic posteriori modo debetur, quòd leges Romanæ pauca admodum ordinaverint de ministris, tanquam ministris seu familiæ sociis, & extra servitutis statum consideratis, sed in istiusmodi dispositionibus ferè semper commiscuerint qualitatem illam subjecti ministrantis adjectitiam, servitutem nempe cum ipso ministerio in familia præstando. Hinc vel ideò laborem nostrum eò minus ingratum fore confidimus, si secernendo hæc bina invicem, enucleabimus id, quod, remotâ illâ servitutis adjectitia qualitate, tam secundum leges Justinianeas, quàm hodiernam observantiam, famulis præsenti seculo juris conveniat.

§. 14. Igitur nostris moribus, quibus sublata servitus est, *vid.* R. A. zu Speyer *de anno 1542.* §. und wiewohl rc. hodierni famuli juxta statum absolutum considerati, eodem ac simili cum ipsismet heris jure utuntur. Sic quod obligationis capaces sint, vel eo ipso illi satis comprobant, dum operas suas non nisi elocare solent hero, mercede nonnunquam satis magna interveniente. Neque de aliorum jurium capacitate dubitat quisquam, nisi quòd ratione testimonii perhibendi quædam notanda sit differentia. Nimirum quoad statum absolutum, tanquam liber homo, testis omninò potest esse famulus, *arg. l. quoniam liberi testes. 11. C. de testib. Nov. 90. c. 6.* secus ac servi pristinæ conditionis, *per auth. si testes C. eod.* Excepto casu, si aliunde veritas haberi nequeat, tunc enim torturæ subjiciendi sunt. *l. 7. l. 21. §. 2. de test. l. 9. pr. de quæst.* neque tamen passim & ubique, sed ita de facto suo in quacunque causa interrogantur, & de facto quoque alieno adversus exteros; Non autem in causa Do-

ſa Domini nec pro eo. *l. 7. ff. de teſt. l. 8. C. eod. l. 15. C. de quæſt. ibiq;* Dn. Brunnem. *qui varia notabilia exhibet.* Add. Hillig. ad Don. *lib.25. Comm. c. 9. lit. a.* In ſtatu autem relato & dum cauſa ad dominum ſuum pertinens agitatur, ne hodie quidem famulus rectè in teſtimonium vocatur, nec magis ac ſervus aliquis veterum, propter illam neceſſitudinem, quâ nimis adſtrictus creditur eſſe domino, *per l. ſervus 8. C. d. t.* Hinc paſſim improbatur domeſticum teſtimonium, i. e. eorum, quos actor de domo ſua producit. *l. pen. ff. de teſt. l. 3. C. eod. ibiq;* Dn. Brunn. Quod ipſum tamen limitant (1) niſi ſine Salario famuletur, quos citat Brunor. à Sole *in Loc. Communib. auctis à Jac.* Schultes *in voc. Familiares.* modò tunc expenſis domini non vivat, hoc enim idem eſt, ac ſi cum ſalario ſerviret. Joh. Faber *in §. in teſtib. 9. Inſt. de teſt. ord.* & habeat legitimam ſtandi perſonam in judicio. (2) in caſu, ſi ſint utrique parti æque domeſtici, aut agatur de negotio domeſtico. Weſenb. *in parat. ff. de teſt.* Dn. Strauch. *Ex. 25. aph. 15.* Alias limitationes exhibet Farinac. *de teſt. lib. 2 tit 6. q. 54 reg. 2.* Trentac. *de teſt. reſol. 1.* Gabr. *de teſt. concl. 10.* & Hillig. ad Donell. *lib. 25. c. 11. & 12.*

§. 15. Potiſſima igitur conſideratio famulor. noſtrorum ad ſtatum relatum pertinet, quatenus nimirum famulus in ſe quidem liber, ipſum tamen libertatis exercitium, quoad operas Domino præſtandas, propter utilitatem ſibi inde expectandam, ad tempus, certis ſub conditionibus, ſponte abdicat, ſuam perſonam ſuasque actiones nutui ac imperio patrisfamiliâs ſubjicit. Et ut ordine procedamus, contemplabimur in noſtro themate Famulor. I. *Jura propria,* quæ ſc. inter herum & famulum intercedunt, amboſque mutuò referunt. 2. *Jura extranea,* h. e. alia, quæ mutuam illam ſocietatem non quidem proxime attingunt, ſed ex illa familiari conjunctione reſultant, & ratione aliorum partim hero, partim ſervo utrique ſeparatim competunt. Prioris generis jura propria ſc. &, ut ſic dicamus, familiaria, concernunt ipſius famulitii 1. Conſtitutionem. 2. Conſiſtentiam. 3. Diſſolutionem. De juribus, quæ extranea appellavimus & eorum ulteriore diviſione, alio tempore cum DEO ſumus dicturi. Nunc primò de famulitii conſtitutione.

§.16.

462

§. 16. Modos igitur, quibus jure veteri servi constituebantur, adhibitâ iterum distinctione in §. 13. traditâ, alios facimus quoad Statum Absolutum, alios quoad Relatum. Juxta Statum Absolutum ex hominibus liberæ conditionis in servilem redigebantur 1. Capti ab hostibus, §. 4. *I. de J. pers.* 2. qui pretii participandi causâ seipsos quasi servos alienant, etiamsi minores sint 20. annis. *d.* §. 4. & retrò à Justiniani temporibus 3. munus militiæ detrectantes, ut notat JCtus Menander *l. 4. §. gravius 10. ff. de re milit.* 4. damnati in metallum seu opus metalli *l. 8. §. 4. ff. de pœn.* item 5. in ludum venatorium damnati, *d. l. 8. §. 11. ff. eod.* 6. mulieres ex SCto Claudiano, servili amore bacchatæ, *§. un. J. de success. subl.* Hi modi omnes, & si per quos similes severa antiquitas libertatem adimere suevit, (nam & addictio hominis ære gravati creditoribus facta, cujus meminit Gellius *noct. Att. lib. ult. cap. 1.* eò à nonnullis refertur) hi, inquam, Statum Servorum Absolutum intendunt primariò, licet eorum plurimi per consequentiam simul & Relatum respiciant. Magis verò commodè ad hunc, Relatum scil. Statum, quo Servi determinato certi cujusdam domini imperio subjiciebantur, ei omnes videntur pertinere modi, quibus aliàs res cæteræ commercio hominum non exemtæ acquiri solent, emtio v. c. stipulatio, legatum, donatio &c. Quibus ipsis & accenseo, si qui ex ancilla tanquàm fructus domino nascantur, *l. 5. §. 1. de stat. hom.* §. 4. *Inst. de jur. person.* qui vernæ dicuntur, vel à vere, vel à voto, teste Hillig. *ad Donell. lib. 2. c. 9. lit. L.* Græci vocant *οἰκογενεῖς*. Hinc prodiit vernacula festivitas i. e. domestica. Turneb. quoque *1. adversar. 9.* etiam libertos vernas in quadam veteri inscriptione se legisse refert. Mercer. *1. opin. 9.*

§. 17. Nostri autem Famuli tanquam liberi homines non nisi unico fere modo, per conventionem, scilicet, præprimis autem per locationem conductionem, conciliari solent, experientia quotidianâ id attestante.. Dico: *locationem conductionem.* Isto enim contractu non solùm de præstando rei certo usu, *l. 9. §. 1. ff. loc. cond.* sed & de præstandis operis homines conveniunt, *l. si tibi 22. ff. de P. V.* Et pro ista diversitate objecti nomina quoque personarum contrahentium diversa oriuntur. In locatione

catione

catione *rerum* ille dicitur Locator, qui usum rei pro mercede præstat, v.g. dominus fundi; is verò, qui usum concessum percipit, v. g. colonus, solet Conductor dici. In locatione verò *operarum* ille Locatoris nomen sortitur, qui operas suas locat, h. e. exhibere promittit; Conductoris verò appellatione venit is, cui operæ præstantur, *l. 1. ff. de æstim. act. l. in operis 26. & passim. ff. loc. cond. l. 3. ff. de his qui not. infam. l. 1. §. 6. de postul. l. 18. §. 9. l. 28. & l. 22. ff. loc.* Treutl. *vol. 1. Disp. 9. th. 1. lit. H. ibiq.* Bachov. Cujac. *2. Observ. 28.* Don. *lib. 13. c. 6. ibique* Hillig *lit. H.* Ludw. *Ex. 13. th. 5. lit. B.* Hinc facilè constat, quòd ipsi famuli Locatorum partem, eorum verò Domini Conductorum vicem obtineant, & quòd juxta hujus ipsius contractûs regulas plurima, quæ inter herum & servum hodie jura intercedunt, æstimari debeant.

§. 18. Porrò nihil frequentius est, quàm ut in conductione famulorum arrha intervenire soleat, daß man ein Dinggeld oder Dinggroschen drauff gibt/ pro firmiori certitudine celebrati contractûs. Arrham vocavi, ad similitudinem illius arrhæ, quæ emtioni venditioni, *pr. in fin. Inst. de emt. vend.* ut & sponsaliorum solennitati, *l. si quis officium 38. pr. ff. de ritu nuptiar.* est conveniens. Licet enim Dd. quot quidem ego eorum evolvi, parum expressè de arrha, locationi conductioni accedere solitâ, nobis exhibeant, multò minùs ad istam singularis arrhæ speciem descendant, in obligandis famulis, prout diximus, usitatam; nulli tamen veremur isthoc nominis huc transferre, præsertim cùm neque vocis origo, dum à Græco ἀῤῥαγὴς, quòd est firmum, descendere videatur, neque idonei auctores repugnent, quò minus pro quovis pignore generatim sumi queat. Ita Terent. *Heautb. a. 3. sc. 3. v. 42.* *Ea relicta arrhaboni est pro illo argento.*

§. 19. Jura ipsa autem arrhæ nostræ famulari convenientia quòd attinet, neque hæc mutuari dubitamus ab ipsa illa materia, quæ est de emtione & venditione, quatenus de arrha ibi disponitur, adstipulante ipsius Justiniani consilio, *pr. I. de loc. cond.* inquientis, *quòd locatio conductio sit proxima emtioni & venditioni, iisdemque juris regulis consistat.* Præsupposità igitur eâ similitudine, inferimus, quod arrha data, Dinggeld oder Mieth-

[illegible] nihil conferat ad ipsam conductionis famuli perfe-ctionem, quippe quæ per solum heri atque famuli consensum, *l. 2. pr. & §. 1. ff. de O & A.* nec non mercedis constitutionem, *l. 2. ff. loc. cond.* suum robur accipit. Indeque ulterius conficitur, quòd, si cæteroquin perfectâ conductione famulus sive simplicem, sive duplicatam arrham restituat, vel etiam Herus arrham perdere & relinquere velit famulo, neuter tamen possit invitô alterô resilire à contractu semel initô, *per l. sicut initio 5. C. de O. & A.* licèt communis Dd. opinio sit contraria, ut tradit B. Ludw. *ad pr. J. de emt. vend.* Idque procedet, sive arrha in symbolum duntaxat conductionis, sive, ut simul partem mercedis faciat, sit data, secundum ea, quæ tradit Dn. Struv. *Synt. J. Civ. Ex. XXIII. th. 23.* Wesenb. *ad ff. de contrah. empt. n. 9 ibique* Dn. Hahn ad Wesenb. & Dn. Carpz. *p. 2. C. 33. def. 14.* quanquam, quoad posterius dissentire videatur Dionys. Gothofr. *ad l. 2. C. quando lic. ab emt. disc. lit. K.*

§. 20. In partem *mercedis* verò datam esse arrham, non modò eam intelligimus, quæ data est ita, ut postmodùm decurtetur de mercede conventâ, sed & eam, quæ ultra vel supra mercedem, & quodam quasi donandi animo datur, quod in emtione venditione dici hodie solet, in den Kauff geben. Utroque modo datam arrham retinet famulus & suam facit. Quod si verò in symbolum nudum & solum data illa fuerit, impleto contractu, eam restituere debet famulus, ac utilis hero competit in rem actio ex locato cond. arg. *l. 11. §. 6. de act. emt.* Quodsi autem arrha non super jam perfectâ, sed perficiendâ demum conductione fuerit data, licet quidem resilire à conductione, quæ tractabatur, nec ad perfectionem erat deducta; sed tamen si famulus in causa est non secutæ perfectionis; arrham duplicatam restituet, conditione ex lege, ut putat Cujac. *11. observ. 17.* conventus; sin verò Dominus, arrham datam perdet, *per textus & Autores jam citatos.* Et si eveniat, ut postea mutuo consensu dissolvi locatio conductio placuerit juxta §. *ult. J. quib. modis toll. obl.* datur actio ex loc. conduct. ad arrham repetendam, *arg. d. l. 11. §. 6. de act. emt.*

§. 21. Quæritur hic: Si famulus duobus vel etiam pluribus

bus promiserit suas operas, cuinam eas præstare teneatur? Responsionem vel jure naturali depromtam suppeditat ipse Ulpianus *l. 26. ff. loc. in operis*, inquiens, *duobus simul locatis convenit priori conductori satisfieri.* Hinc ut in aliis, ita & hâc parte, æquissimè constituit Seren. Elector Saxoniæ in der Gesinde Ordn. *de anno 1651. t. 2. §. 2.* Da jemand von Knecht oder Mägden seinen Dienst zweyen Herren zugleich anbieten/ oder versprechen würde/ der oder dieselbe soll schuldig seyn/ dem jenigen/ welchen die Zusage am ersten geschehen &c. und dem andern einen tüchtigen Dienstbothen an seine Stelle zuschaffen/ oder den zugefügten Schaden nach Ermessung der Obrigkeit zu ersetzen. Simile in suis ditionibus ordinârunt Illustrissimi Rutheni à Plauen, in der Verordn. wegen des Gesindes *de anno 1652. art 2. n. 2.* ubi prætereà & pœnâ in tales animo levi homines animadvertendum putârunt. Ita enim *d. l.* constituêre: Und soll das Gesinde dieser seiner Leichtsinnigkeit wegen noch dazu mit einer willkührlichen Straffe angesehen werden. Conferri potest Dn. Brunnem. *ad d. l. 26 ff. loc. n. 1.* Quid verò juris, si quidem à posteriori domino arrham, einen Dinggroschen famulus acceperit, à priori autem non? Arbitramur nihilominus ad præstanda servitia primo domino oblata, esse adstrictum ex eodem, quod *ib. præc.* adduximus, principio.

§ 22. Ita ergò *ordinariè* famuli constituuntur, & modo frequentiori. Nunc de modis quodammodo *extraordinariis*. Quò referimus I; conductionem illam *tacitam*, seu potius tacitè prorogatam. Quæ tacita reconductio non tantum in prædiis locum habet, sed etiam in rebus mobilibus locari solitis. Molin. *de Just. & Jur. tr. 2. D. 498. n. 10.* Mantic. *de tac. & ambig. convent. lib. 5. tit. 15. n. 43.* nec non in operis locatis Mantic. *d. l.* Menoch. *lib. 3. Præsumt. 85. n. 16.* Mascard. *de probat. Concl. 993. n. 12.* Quod si ergo conductionis tempore impleto famulus remanserit in conductione, neque repudiaverit eum dominus, illa partis utriusque taciturnitas efficit, ut dominus famulum reconduxisse, & hic eandem locationem renovâsse nudô consensu videantur, per *l. item quæritur 13. §. fin. ibique* Dn. Brunnem. *l. qui ad certum. 14. ff. l. 16. C. locati.* Mevius *p. 3. Decis. 385. n. 2.*

§. 23. Excipiunt Doctores casum, quo prima locatio in

464

scriptis fuit celebrata; ubi hanc tacitam reconductionem excludi, neque prius tempus in relocatione videri repetitum, asserunt, & hoc ideò, ne tacitus consensus, qui ex facto inducitur, ultrà, quàm factum est, operetur, quam ipsam aliàs objectionem moyet Ant: Faber *in C. 1. de locat.* Et ita communiter cum Menoch. *lib. 3. præsumt. 85. n. 46.* explicant verba fin. *l. 13. §. ult. ff. locat.* Vid. Gomez. *lib. 2. var. Resol. jur. c. 3. n. 16.* Anton. Faber *in Cod. lib. 4. tit. 41. def. 48.* Carpz. *p. 2. Const. 37. def. 9. sub fin.* Afflict. *dec. 165.* Aliter hæc verba interpretatur Frantzk. *ad ff. loc. n. 13. & seq.* sc. habitationem fuisse reconductam quatenus inhabitavit ultra annum, nisi in scriptis de alio tempore conventum, ut tunc ad idem tempus in scriptis antea comprehensum ex integro reconductio facta videatur, & hanc sententiam calculo suo confirmat Dn. Struv. *Ex. 24. th. 8.* Quæ interpretatio sanè nihil absoni habet, præprimis cùm communis Doctorum sententia paulò subtilior esse videatur, per ea, quæ exhibet Dn. Lauterbach. *ad ff. tit. loc.* & Dn. Brunnem. *ad d. l. 13. §. fin. ff. locat.* Sed si *stipulatione* celebrata sit locatio, tacitam conductionem rejicit Bartol. *in d. l. 13. §. fin. ff. loc. n. 13.* Quæ sententia tamen ex traditis Lauterbachii & Brunnemanni æquè dubia ac prior redditur. Verùm cùm hodie stipulationes non adeò sint frequentes, operam non compensabit accuratior in hoc ultimum inquisitio.

§. 24. Dispiciendum erit potiùs, in quantum temporis spatium hæc tacita ministrorum reconductio porrigatur, numq; ad totius anni, num verò ad brevius duret tempus? Et quidem, sicubi mos ferat regionis, ut duobus in anno stativis terminis, quod Vere, nisi fallor, apud plurimos fit atque Autumno, famuli soleant mutari, h. e. admitti novi, veteres autem dimitti; tunc juri nostro conveniens esse arbitramur, sufficere, si ad alterius saltem istorum terminorum revolutionem usque tacita illa reconductio extendatur, etiamsi prima conductio integrum annum respexerit, *arg. sæpiùs cit. l. 13. §. fin. vers. quod diximus, in verbis: etsi lustrum ab initio fuerit constitutum. ff. loc. cond.* In nostris territoriis atque finibus talismodi controversiæ utplurimum laudandâ sedulitate Legislatorum præscinduntur, & quid observari

debe-

debeat, certis Edictis constituitur. Sic in Electoratu Saxonico non est dubium, quin tacita hæc conductio non nisi integri anni cursu demum finiatur, juxta Sereniss. Electoris Joh. Georgii II. Ordin. Polit. *de anno 1653.* Sic item in terris Ruthenicis totus annus circa istum casum est determinatus, per expressum hac de re mandatum Illustriss. Ruthenorum à Plauen *de annô 1652.* Et ad hoc tempus etiam prius salarium tacite repetitum est. Hinc Bald. *in l. 19. ff. de jur. dot.* dicit: *Quodsi te conduxerim pro uno anno cùm certo salario, & postea te simpliciter conduxerim pro alio anno, intelligitur facta repetitio illius salarii, quod propter servitia prioris anni constitutum erat.*

§. 25. Illa quæ de tacita reconductione hactenus proposita sunt, insigniter limitantur hoc in casu, quando famulus, qui per tempus promissum servitia præstitit, novo Domino operam suam addixit, tunc enim primus conductor præferri nequit, si modo annus ille, ad quem locaverat suam operam famulus, finitus est, etiamsi non resignaverit, quia jure communi non resignatio, sed potius tempus, ad quod conducitur, contractum finit, *juxta l. 3. §. 6. ff. de jur. fisc.* Mev. *p. 4. Dec. 385.* & Dn. Brunnem. *ad l. 26. ff. loc. n. 1.* Verùm & hæc resignatio & renunciatio moribus nostris passim, majoris certitudinis gratiâ, recepta est. Hinc quoque tempus ipsum, intra quod fieri debeat ministerii renunciatio, ne taciturnitas continuationem inducat, hisce regionibus non solet non determinatum relinqui. Sic in terris Elector. Sax. denominatur quadrans anni, conductionis decursum proximè præcedens. Ita enim in d. Ordin. Polit. Sereniss. Elect. *d. anno 1653. t. 23. c. 2. §. 3.* hac in re disponitur: Uber diß auch/ wo das Gesinde ufs künfftige Jahr im Dienst zu verbleiben nicht gesonnen/ soll es ein viertheil Jahr vorher/ den Dienst auffzusagen/ gehalten seyn. Wo aber die Auffkündigung nicht geschicht/ ist es verbunden noch ein Jahr lang den Dienst außzuhalten. Sex verò saltem hebdomades, easque tam hero, quàm famulo, quoad suas ditiones, in hanc rem sufficere putârunt Illustr. Rutheni d. Mandato *de anno 1652. ibi:* Da aber ein Haußwirth ein Gesinde länger nicht in Diensten zu behalten/ oder das Gesinde länger nicht darinnen zu verbleiben gemeinet/ soll ein Theil dem andern zu sel-

465

ner zeitlichen Nachricht sechs Wochen vorher ansagen/ wo es aber nicht geschehe / den Dienst auch folgendes Jahr außzuhalten verbunden seyn. Cæterùm, cùm nonnunquam cautiones quoque soleant ministri dominis præstare, quæritur an & cautio ejusmodi constituta in sequentem annum per talem continuationem tacitam simul protrahatur. R. Si quidem ipse famulus pignora dedit, videntur obligata manere; si verò alius pro eo in priore conductione res obligaverit, aut fidejusserit, hujus novus atque expressus consensus erit necessarius, *per. d. l. 13. §. fin. ff. loc. cond.*

§. 26. Inter modos famulum constituendi, quos diximus extraordinarios, referri quoque potest (2) ille, qui German. vocatur der Dienstzwang/ cùm videlicet quibusdam in locis Rusticorum (nonnunquam & alior. subditor.) liberi, antequam ex pago & jurisdictione domini, aliorsum se cum suis operis convertant, aut etiam remanentes sub ipsâ jurisdictione, sed tamen è familiâ paternâ discedentes, heros, quibus famulentur, quærant alios; priùs ipsi Domino, cui hos immediatè subjectos nativitas reddidit, ad certum tempus & pro statutâ mercede suum famulatum offerre, &, si domino ita placuerit, præstare tenentur. Tempus illud in suis regionibus Serenisſ. Elector. Sax. determinavit, ut sit biennium. d. Ordin. Polit. *de anno 1661. t. 23. c. 3. §. 1.* Sed hâc vice non incongruè quæri potest; An *jure* subditi, eorumque liberi cogi possint, ut nobilibus aliisque magistratibus præ cæteris famulitium præstare teneantur? Primâ frontè negandum videtur. Quemadmodû enim ministerium & operam famulorum potiùs ad obligationem personalem, quam ad servitutem referendam esse, docet Cœpoll, *in tr. de servit. urban. præd. c. 7. n. 1.* & ex dictis patet. Ita nec subditi aut eorum liberi citra conventionem à magistratibus suis ad famulitia vel operas præstandas cogi poterunt. Nam sicut nemo invitus rem suam vendere tenetur, *l. invitum C. de contrab. empt. & l. nec emere C. de jur. delib.* ita quoque nec invitus locare cogitur, *per l. invitus C. loc.* neq; hac in re magistratus jus protimiseos allegare potest, quia hoc *ex l. 12. C. de contrab. empt.* in tantum desiit, ut paucis exceptis casibus specialibus vel consuetudine demum obtineat.

Andr.

Andr. Gail. lib. 2. Obs. [illegible] Andr. [illegible] cedit, quod coactio elocandi operas sapiat quandam servitutis speciem, teste Hart. Pistor. *Observ.* 101. Plures hanc in rem exhibet rationes Dn. Carpzov *p. 2. Const. 31. def. 9. & in Resp. lib. 1. Resp. 58. Jung.* Magn. Dn. Richter *p. 2. dec. 93. n. 14. & seq.*

§. 27. Quod si tamen rustici operas suas equis vel manu præstandas aliis elocare soleant, tunc certè vel maxime *pietas, & reverentia,* quam subditi dominis suis debent, prærogativam aliquam ipsis tribuit, præprimis si Dominus re adhuc integra concurrat, eandemque mercedem promittat, tunc enim quicquam firmæ ac speciosæ prætensionis non habent subditi, quo operas dominis denegare valeant. Dn. Carpz. *cit. p. 2. Const. 31. def. 9.* & in Resp. *cit. l.* Dn. Richter *all. dec.* Et hinc salvari potest consuetudo, quâ receptum esse §. *prec.* diximus, ut quis operas suas potius Domino pagi, quàm extraneo addicat, v. Carpz. *p. 2. dec. 5.* quæq; non solum in Saxonia secundum alleg. Ord. Pol. sed etiam in Marchia Brandenburgensi recepta est, ut nimirum liberi rusticorum quando parentes eorum operam necessariam sibi non judicant, nobili præ aliis potius elocare cogantur. vid. Scheplitz *Consuet. March. p. 4. tit. 10. §. 2.* & Dn. Brunnem. *ad. l. 26. ff. loc. n. 11. 12.*

§. 28. Diximus suprà §. *17.* quod hodierni famuli unico ferè locationis conductionis modo concilientur. Id quomodo procedat tam communiter & regulariter, tam quodammodo extra ordinem & minùs frequenter, tenus hac sufficienter explicavimus. Potest tamen aliquando evenire, ut iste contractus locationis conductionis locum non inveniat in adsciscendo famulitio, hinc ad modos *extraordinarios* III. eum referimus, qui fit per contractum *innominatum.* Quod si enim forte ministrum quidem sibi quis obligaverit, nec tamen simul certam mercedem statim initio constituerit, non locatio conductio, sed contractus innominatus celebrabitur, actionem præscriptis verbis producens, arg. *l. si tibi 22. ff. d. P. V. & §. 1. J. de loc. cond.* Tandem IV. huc referri potest *addictio creditoris* ad operas debitori præstandas, quando scilicet debitor non solvendo existens ad manus creditoris traditur, ut eum in compedibus atque vinculis

tene-

tenere, ejusque servitiis tamdiu uti possit, usque dum operis suis vel aliâ ratione integrum debitum dissolvat. De hac addictione post textum in Landr. *lib. 3. art. 39.* latè scripsit Coler. *Prot. Exec. p. 1. c. 9. & alibi.* Cujus nodi addictio Jure *Electorali* Sax. abrogata quidē est per Const. Aug *p. 2. c. 22.* vid. Carpz. *ibid.* Eam tamen Jure *communi* Saxonico adhuc vigere, post alios tradunt Chilian. König *in Proc. c. 163.* Christoph Zobel *p. 2. diff. 30.* & Dn. Struv. *Synt. J. Civ. Exerc. XLIV. th. 30. in fin.* ubi & ita ad consultationem Præfecti J. in causa G. E. contra F. M. mense Nov. anno 1657. Dominos Jenenses respondisse testatur hâc sententiâ: Daß Beklagter vermöge gemeiner Sächs. Rechte die Schuld abzuverdienen oder in Banden und Gefängnüß zu sitzen/ denen Klägern nicht unbillich in die Hände gegeben wird. V. R. W.

CAPUT III.

De his, ad quæ Dominus Servo obligatus est, consistente famulitio, & de Mercede potissimùm.

§. 29. Hactenus de *constitutione* famulitii. Nunc *quibus juribus, constituto jam & consistente famulitio*, herus & servus obstricti sibi invicem sint, videbimus, contemplando, ad quæ devinctus sit (1.) Dominus. (2.) Servus. Ille tenetur (1.) & præcipuè ad solvendam famulo *Mercedem*. Equidem servis propriè sic dictis mercedem deberi nullam, est extra controversiam. Eis enim vitæ frustratio pro mercede est. Sed aliud obtinet in hominibus liberis, qui ut §. 14. & 17. dictum, non nisi pro mercede conducuntur. Merces autem, si per locationem famulitium constituatur, non nisi in *pecunia numerata* consistere potest, ad similitudinem emptionis venditionis. Id quod pretii atque mercedis paritas atque eadem planè utriusque ratio efficere videtur. Utrumque enim æstimatio est, alterum rei totius, alterum operarum, vel temporanei usus: quæ tamen æstimatio nihil aliud est, quàm pretium, eoque nomine etiam frequenter à JCtis appellatur. Jam verò constat res omnes æsti-

mari

mari pecunia, ita ut extra pecuniam res una, etiamsi sit fungibilis, alterius æstimatio vel pretium esse nequeat. Quapropter cùm in locatione aliquid non minùs ac in emptione æstimandum veniat, ratio quoque exigere videtur, ut non minùs in locatione, quàm in emtione pretium nummarium intervenire oporteat, quod multis autoritatibus confirmari potest. vid. *l. 23. ff. com. divid. l. 1. §. 9. depos. l. 5. §. 2. de Præscript. Verb.* Nec obstat *l. 21. C. loc.* per quem text. Coras. *lib. 2. Miscell. 11. Pinell. ad l. 2. C. de rescind. vendit. p. 2. c. 3. n. 29.* aliique recentiores in contrarium moventur. Nam dupliciter ille textus resolvi potest. (1.) Cum Tulden. & Busio *ad l. 2. ff. locat.* adhibitâ distinctione inter locationem operarum & rerum, ita ut in illâ merces in pecuniâ tantùm, in hâc verò etiam in aliâ re consumptibili constitui possit, quod etiam ante eos tentavit Gregor. Lopez *1. animadv. 15.* distinguens inter locationem fruendi & faciendi, & inter recentiores defendit Bachov. *ad Treutl. Vol. 1. disp. 29. th. 3. tit. 9.* & Dn. Brunnem. *ad l. 5. §. 2. ff. de Præscript. verb. n. 5.* Ubi plures consentientes Doctores allegantur: Vel, si hæc distinctio propter monita Vinnii cuidam non amplectenda videatur, (2.) Salyceti vel etiam ipsius Vinn. *in §. 2. Inst. loc. n. 2.* propositam responsionem, quòd *in d. l. 21.* vice mercedis in pecuniâ constitutæ fructus substituantur, adhibere poterit.

§. 30. Et sic videmus ratione operarum *vulgarium* & factorum locari solitorũ propriè Mercedem dici & constitui: (Secus est, si per contractum innominatum servitium constituatur, ubi & quælibet res sufficit. Dn. Brunnem. *ad l. 5. §. 2. de Præscr. verb.*) in *dignioribus* verò operis v. c. in erudiendo homine, Salarii seu Honorarii nomen adhibendum esse volunt, per *l. 1. ff. si mens. fals. mod. dix.* Quanquam à Mercedis nomine neque Latini (sicut nec Julianus *l. 4. ff. ubi pup. educ. deb.*) neque etiam Græci Veteres abhorruerunt in his ipsis, quæ Noviores salaria, stipendia, & Græci *συντάξεις* maluerunt dicere. Etiamsi enim res ipsa pretio nummario æstimari in talibus nequeat, labor tamen cuique suus ut sit fructuosus, nulla prohibet honestatis ratio. Itaque his, qui in dignioribus operis versantur, non pretium *rei*, (ut benè Seneca *Orat. 2. tom. 2. pro Rhetor.* distinguit,)

467

ſed *operæ* ſolvitur, id quod mercedem ferre non *meriti*, ſed *occupationis*, eleganter effert Dn. Bœclerus *art. 2. menſ. pret.* Quicquid verò ejus ſit, ſive mercedem, ſive ſalarium, ſive alio nuncupemus nomine pretium pro operis præſtandis promiſſum, id, ut monuimus, in numerata pecunia conſiſtere debet. Nam quod communiter alimenta, ſæpe etiam veſtimenta & alia famulis præſtat dominus, id propter pactum adjectum fieri, nos equidem cenſemus *l. 7. §. 5. ff. de pact.* Hæc ipſa autem etiam pro ſervo propriè dicto Lex naturæ paciſcitur. vid. Grot. *de J.B. & P. lib. III. c. 14. n. 6.* unde Syracides 33. v. 25. *ἄρτος καὶ παιδεία, καὶ ἔργα οἰκέτῃ.*

§. 31. Quantitas mercedis pro miniſteriorum diverſitate variat. Hinc in bene conſtitutis Rebuspublicis auctoritate Magiſtratus ea quantitas ſolet determinari. Perpetuam verò hac in re ordinationem, & quæ in prolixam plurium annorum ſeriem durare queat, ſine ingenti civitatis incommodo fieri non poſſe, pro certo nobis eſt perſuaſum, idque ipſum propter inſignem annonæ & aliarum civilium rerum neceſſitudinem, quæ omnes populos ſolet pervagari. Cæterum quemadmodum alias in emendo & vendendo naturaliter conceſſum eſt, quod pluris ſit, minoris emere, quod minoris ſit, pluris vendere, & ita invicem ſe circumſcribere: ita & in locatione conductione famulorum id licitum eſſe, *per l. item ſi 22. §. fin. ff. loc. cond.* omninò aſſeri poteſt, quod probant Dd. in tantum, ut ne quidem artifici locanti ſuam operam concedant implorationem beneficii *l. 2. C. de reſc. vend.* uti refert Barboſ. *ad d. l. 2. C. de reſc. vend. n. 26.* quod tamen limitat Dn. Brunnem. *ad l. 22. §. fin. ff. loc.* ut non procedat, ſi vel artifex ignoraverit vitium materiæ, ex qua elaborandum quid ſit, vel error concurrat inculpabilis. Hodie, mercedis determinatione per Edictum Superioris promulgatâ, vix auſim aſſerere, conceſſum eſſe, ut in fraudem hujus, mercedis quantitas augeatur, niſi inſignes circumſtantiæ rem ita temperent, ut de majori, quàm ibi conſtituta eſt, mercede inter herum & famulum conveniatur. De minori autem quin conveniri poſſit, nullum dubium eſt.

§. 32. Extra determinationem publicam à Superiori

præ-

præscriptam quantitas mercedis à conventione contrahentium dependet, in tantum, ut arbitrio Tertii alicujus permitti merces possit, *§. 1. J. de loc. conduct.* Et hoc quidem effectu, ut si quidem Tertius ille mercedem definiverit, res benè se habeat, & contractus inter herum & famulum sit omninò validus; sin minùs, nullius momenti sit, quasi nullâ mercede statutâ, *l. 25. ff. loc. cond.* Sive verò ab ipsis contrahentibus, sive à tertio determinatio mercedis fiat, semper requiritur, ut vera sit, non simulata merces, per *l. 46. ff. locat.* Hinc si quis dicis gratiâ conduxerit famuli operas uno saltem nummo, vel duorum denariorum pensione, ut loquitur textus *2. feud. 9. §. 1*, conductio quoque est nulla, per *l. si quis 46. ff. loc. cond. l. 20. §. 1. eod.* si tamen seriò quid voluerunt agere, donationis instar ita inducitur, *d. l. 46.* ita ut usum suarum operarum quasi donasse videatur famulus. Conf. Gothofr. *ad d. l. 46. lit. O.* Dicebant autem veteres nummo addicere, quod nostrates vocant fragmento panis vendere. Hicque modus loquendi ex emptione vend. in locationem conductionem est translatus. Consulebatur verò hoc obtentu pudori accipientium, & donationis invidiæ occurrebatur, Schild. *ad Sueton. in Cæs. c. 50. p. 79. n. 7.*

§. 33. Constituta merces solvenda est eo tempore, quod inter herum atque famulum convenit, aut si tempus in conventione haut sit expressum, tunc quando aliàs eo in loco id fieri suevit, *l. semper 34. ff. de R. J.* Quòd si nec de regionis more constet, tunc, finito locationis tempore ut solvatur merces, analogiæ Juris putamus conveniens, in qua re habemus consentientem Bartolum *in l. Præses 1. §. Divus 13. n. 6. ff. de extraord. cogn.* Ex æquitate tamen rectè videtur passim esse receptum, ut etiam ante istius temporis effluxum, ministri, præsertim pauperiores, in usum necessarium, aliquid modici de mercede sua præcipiant, fac. *l. si verò non remunerandi 12. in fin. ff. mand.* Hisque paria Illustr. Rutheni suis ditionibus ordinarunt sæpe laudatâ Const. *de anno 1652. art. ult. n. 6.* ibi: Soll keinem sein gesatzter Lohn vorenthalten/sondern derselbe jedesmahl/weñ sein Dingjahr aus ist/oder/was er etwa mitler deßen / unentbehrlich benöthiget were/ richtig ausgezahlet/und wieder seinen guten Willen zwey oder mehr Jahr lang

nicht zusammen gesparet werden. Quid igitur, si moram in solvendo Dominus committat? R. Ex conducto actione contendens, eo judicio, quod est bonæ fidei, debitam mercedem cum usuris solitis consequetur famulus, per ea quæ rescribit Anthonius Epicteto, *l. 2. C. de loc. cond.*

§. 34. Et sic, cum certa merces promissa est, lex conventionis exigit, eam solvi; sed nullâ mercede promissâ, an aliqua debeatur & qualis, non extra ambiguitatem existit? Ex jure & ratione communi primò considerandum erit id, quod dictum est, cum famulus operas promitteret, & Dominus reciperet: sæpe enim contingit, ut nec gratis opera suscipiatur, nec protinus aut data aut constituta sit merces, sed eo animo negotium geratur, ut postea tantundem mercedis nomine præstetur, quantum conveniri potuerit, cujus rei gratiâ actio præscriptis verbis datur, uti decidit JCtus *in l. 22. ff. de P. V.* Sed si ex dictis nihil colligi possit, considerandum erit, quid consuetum hactenus fuerit conductori & locatori, an operas certa mercede locare & conducere antehàc sint soliti, aut verò gratis præstare & recipere. Hinc si famulus non solitus fuit antea gratis servire, sed mercedem accipere, etsi vel Dominus gratuitas antehac habuerit operas, tamen censetur servivisse pro ea, quam ab alio accepit, justeq; petit, mercede. Bonacoss. *in tr. de serv. & fam. q. 79.* Castr. *vol. 2. Cons 346.* Joh. Fab. *ad §. fin. Inst. mandat.* Multò magis, qui in annum operas locaverat pro certa mercede, eo finito, utut mercedis nulla amplius sit facta mentio, in primo anno promissam ulteriùs potest petere. Bonacoss. *cit. tr. q. 80.* conf. sup. *§. 22. sqq.*

§. 35. Ubi autem hæc omnia cessant, succedit æquitas & officium judicis, quô, si non gratuita servitia promissa reperiantur, operantibus merces constitui debet, justâ ratione personæ & operarum habitâ. Cyn. Salyc. & Johan de Aren. *ad l. 1. C. mand.* Æquum enim hoc est, nec debet esse labor sine mercede *c. charitatem. c. 12. q. 2. Nov. 82. c. 9. in pr.* unde fraudans aliquem mercede, sanguinem ejus effundere dicitur *c. immolans. c. 5. q. 5.* Et hoc in casu officium judicis implorari potest, *arg. l. 32. ff. de reb. Cred.* Mev. *ad Jus Lub. lib. 3. tit. 8. art. 7. n. 1. & seq.* Præterea hic observandum, etiamsi in conventione vel nihil de alimentis

dictum,

dictum, tamen cibum & potum famulos à Dominis exigere posse. Negat hoc quidem Coler. *de Aliment. lib. 1. c. 13. n. 40.* sed frustrà & sine jure, tùm quia Dominus servo ad alimenta obstrictus est *l. 1. ff. de his, qui sui vel alieni juris.* tùm quia etiam in liberis hominibus sic jus providit, ut cùm aliud non convenerit, operæ quidem artificiales præstentur proprio victu & sumptu debentium, obsequiales autem sumtu & victu Dominorum, quibus exhibentur *l. 18. l. 21. ff. de operis libert.* Zas. *singul. intell. lib. 1. c. 3. n. 51. & seq.* Atq; hoc universalis Germaniæ observat consuetudo, famulis mercenariis alimenta sine conventione decernens. Mev. *ad Jus Lubec. lib. 3. tit. 8. art. 5. n. 22. & seq.* conf. sup. §. 30. *in f.*

§. 36. Præterea Legumlatores earumque Interpretes ponderantes severissimum DEI præceptum, quod operariorum mercedem ne per unicam saltem diem vult retineri, *Levit. XIX. 13. & Deut. XXIV, 14. 15. Matth. 10. v. 10.* solliciti, ut omnis præscindatur materia delinquendi contra hanc divinam sanctionem, singularia quædam ratione mercedis privilegia impertierunt hodiernis famulis. Quorum est *primum*, quòd *literæ dilationis illæ quinquennales seu moratoriæ,* quas obærati creditores à Principe impetrare sæpius solent, *ad debitum illud mercedis,* ut & ad debita opificum, qui quotidiano sudore & opera se suosque alere ac sustentare solent, *nequaquam sint extendendæ.* Dan. Moller. *l. 4. semestr. 6.* Cùm enim eorum debita non solùm, uti antea monitum, de jure divino privilegiata sint, sed & omnibus ferè in locis præferantur aliis creditoribus, tanquam magis privilegiati, meritò etiam hoc beneficio gaudent Rebuff. *ad Const. Regn. Gall. lib. 2. tract. de lit. dil. arg. 1. gl. 1. n. 26.* Besold. *in Thes. Pract. sub vocab. Quinquennell.*

§. 37. *Alterum* est, quòd famulus sive ancilla *retentionem* habeat in ædibus domini, donec ei de mercede satisfiat, perinde ac creditoribus certis, aliisve personis quibusdam, bona debitoris usque ad exolutionem detinere licet. Bald. *in l. fin. C. Commod.* Quod ipsum præjudicio confirmat B. Carpz. *p. 2. Const. 25. d. 23.* dum ad consultationem Caspari Neubners zu Leipzig/ *mens. Febr. anno 1630.* ita responsum scribit: Daß obgedachte Magd oder Haußhalterin aus des Instituirten Testaments Erben Hause/ ehe

und zuvor sie ihres Liedlohns befriediget / zu welchen nicht angehalten werden mag / V. R. W.

§ 38. *Tertium* privilegium magis juri Saxonico proprium est, ut, si non constet, quantum mercedis nomine famulis debeatur, eatenus standum sit *proprio ipsorum juramento*, per text. LandR. *lib. 1. art. 22.* ibi: Verleugnet man Ihn auch ihres Lohns / es sey von einem Jahr oder von einem halben / sie mögen wohl uf den Heiligen erhalten / wie viel man ihnen schuldig ist. Neque obstat, quod omnibus in re propria dicendi testimonii facultatem jura submoverunt, ut loquitur *l. 10. C. de testib.* Quia hoc casu ex speciali Juris Saxonici dispositione in favorem mercedis famularis, aliud introductum est Berlich. *p. 1. concl. 64. n. 69.* Moll. *ad Constit. Elect. 28. n. 5. p. 2. ibiq.* Carpz. *def. 34.* Et hunc in modum *M. Jul. 1652.* ad consultationem der Reussis. Plauischen Räthe und Befehlighaber zur Burg / in Scabinatu Jenensi responsum: Daß unter denen Gläubigern / erstlich Adam Eisern 18. fl. 9. gr. Hanß Behren 5. fl. 9. gr. 5 ₰. Hanß Herbsten 12. fl. 10. gr. 6. ₰. und Conrad Ammon 28 Thlr. wann diese drey letzten ihr Liedlohn vermittels Eydes erhärten / zu erlegen. Add. Magn. Dn. Richter / *de jure & privileg. Credit. c. 2. membr. 3. n. 27.* Matth. Coler. *part. 1. decis. 198. n. 7.* Antequam tamen famulus juramento suo admittatur, de tribus constare prius debet. 1. se fuisse ministrum. 2. de pretio quoque intervenisse conventionem. 3. ministrum saltem verbotenus conductum esse, nec cum eo desuper instrumentum confectum, ut notat ex observantia Scabinorum Hartm. Pistoris *p. 1. quæst. 18. n. 6. & 10.* Quod ultimum verò requisitum haud promiscuè necessarium esse, nos equidem arbitramur.

§. 39. *Quartum* famulorum ratione mercedis, privilegium est, ut vocant, *Prælationis*, seu *Prioritatis*. Idque itidem ex J. Saxonico promanans, consuetudine ferè totius Germaniæ approbatum est, ita ut vigore hujus, famuli omnibus aliis creditoribus præferantur, ut testatur cum pluribus alleg. Dd. Berlich. *p. 1. concl. 64. n. 65.* De jure quidem civili ministri præ reliquis creditoribus nihil habent præcipui, sed aliis creditoribus exæquati post hypothecarios demum in concursu locantur, Ja-

E 2 son.

fen *in l. si pluribus ff. de leg. 1.* Koppen. *dec. 28. n. 13.* Hartm. Pistor. *p. 1. q. 8. n. 2. & ibid* Sim. Ulricus Pistor. *in addit. lit. H.* Quia tamen operis famulorum tota debitoris familia, ejusque bona & facultates augentur & conservantur, æquissimũ duxerunt statuta & mores speciales, ipsos operarum suarum effectu & commodis in receptione crediti sui præ aliis omnibus frui. Quocunque igitur modo ac tempore, sive domino defuncto, sive eo adhuc vivente, concursus fiat creditorum, famuli secundum dispositionem juris Saxonici in classe primâ juxta ordinem suum repositi, reliquis omnibus creditoribus erunt præferendi, ut sudoris sui fructu gaudeant, *per text.* LandR. *lib. 1. art. 22. vers.* Von dem Erbe soll man erstlich dem Gesinde geben ihren Lohn. *ibi Gloss. Latin. lit. C.* ut & Nov. Augusti *p. 2. c. 28.* ibi : Daß vor allen andern Schulden erstlich bezahlet werden soll/ das Liedlohn &c. Idem privilegium prælationis constitutione Marchiaca Brandeburgensi, *tit.* von Erbfällen *in pr.* in Borussia *per* Preusisch. LandR. *lib. 1. tit. 49. §. 1. in fin.* in Pomerania *per Recess. Wollin. de anno 1569. die 24. Maji promulgatum.* Statutis Francofurt. *p. 1. tit. 49. §.* zum ersten. & Hamburg. *p. 2. tit. 5.* Jure quoque Lubec. *lib. 3. tit. 1. art. 11.* imò, uti supra *§. 36.* monitum, universalibus Germaniæ moribus ministris datum est. vid. Beuther. *lib. 2. de Pral. cred. c. 11.* Dn. Mev. *ad Jus Lubec. cit. loc. n. 59.* Magn. Dn. Richter *de privil. Credit. c. 2. membr. 3. n. 2. & seq.*

§. 40. Nec refert, an merces saltem unius vel dimidii anni, an verò à multis annis fuerit residua ; verùm indifferenter pro salario apud dominum restante competit isthoc privilegii. Pist. *d. q. 8. n. 4. & 9.* Quamvis enim in textu Juris Saxonici fiat mentio unius vel dimidii anni, hæc tamen verba exempli potiùs gratiâ addita esse, quàm ut dispositionem hujus beneficii restringere debeant, ex mente Scabinorum Lipsiensium concludit Magnif. Dn. Richter *de Privil. Credit. c. 2. membr. 3. n. 15.* Requirunt tamen interpretes Juris Saxonici, quò locum habeat ista prælatio, ut 1. certa merces fuerit constituta ac determinata, 2. ministri sint domestici, ac mensâ domini alantur ; & 3. eo ipso tempore in famulitio atque ædibus heri commorentur, quo ultimum diem obiit dominus, vel quando creditores de prioritate

cer-

certare cœperunt. Joh. Köpp. *d. 28.* nec 4. famuli mercedis nomine, tanquam creditæ pecuniæ, usuras à domino acceperint, Moller. *ad Const. 2. Elect. p. 1. c. 28. n. 7. & seqq.* conf. §. *seq. 42.*

§. 41. Quibus requisitis concurrentibus patescit *omnes* ministros domesticos prædicto prælationis privilegio gaudere, sive sint conducti & præpositi ad scribendum, sive ad famulandum in coquina, mensa, camera, stabulo. Berlich *p. 2. Concl. 64. n. 70.* Hinc & pædagogus in ædibus & convictu debitoris inventus hoc privilegium sibi vendicare potest. Moller. *ad Const. Elect. 28. p. 1. n. 6. ibique* Carpz. *def. 26.* vid. *sup. c. I. §. 6.* Aliud obtinet in mercenariis, qui in ædibus domini morantur, nec ejus pane fruuntur, ut sunt aurigæ conductitii, ut & omnes opifices, sive præter operas suas adhuc materiam suppeditent, sive suas operas saltem impendant, qui omnes inter Chirographarios & simplices creditores referuntur Berlich *cit. Concl. 64.* Carpz. *d. Const. 28. def. 27.* Idem, quòd nimirùm ad prælationis privilegium provocare nequeant, statuitur de factoribus mercatorum, ut & de advocatis & actuariis judicii, si convictu debitoris non utantur, quamvis certum salarium constitutum habeant, ut cum alleg. Doctoribus statuit Magn. Dn. Richter *de Privileg. Cred. C. 2. membr. 3. n. 29. & seqq.*

§. 42. Amittunt quoque famuli hanc prærogativam, & inter nudos Chirographarios referuntur, si nomine mercedis, tanquam pecuniæ creditæ, usuras à dominis acceperint. Moll. *ad d. c. 28. n. 7. seqq.* conf. §. *prec. 40. n. 4.* Debitum enim etiamsi insigniter privilegiatum sit, stipulatione atque perceptione usurarum perdit suum prælationis privilegium, *l. si ventri 24. §. 3. ff. de reb. aut. jud. poss.* & mutui naturam induit. Dion. Gothofr. *in d. l. lit. m.* Magnif. Dn. Richter / *cit. loc. n. 23.* Et hoc ipsum etiam disertè inseri jussit Serenissimus Princeps Augustus Postulatus Administrator Archi-Episcopatus Magdeburgensis Ordinationi Processûs Magdeburgici *cap. 50.* his verbis formalibus: Wann aber ein und die andre unter diesen Personen ihr Jahrlohn dem Haußherrn auff gewisse Zeit ümb Zinß gestundet / so hat sie sich dieses Privilegii nicht zu erfreuen / sondern sie wird unter die Chirographarien gerechnet / wo nicht anders Versicherungen darzu kom-

zu kommen 2c. B. Carpzov. *p. 1. c. 28. d. 33.* Notandum hîc etiam est, quòd famuli cum suâ mercede postponantur venditori, hypothecam in suo fundo retinenti, per ea quæ tradit Dn. Philipp. *observ. Decis. Elect. 63. num. 30. pag. 984.*

§. 43. Hactenus de mercede. Præterea II. de Jure Saxon. Dominus præstare tenetur damnum, quod ratione exequendi herilis negotii in rebus suis famulus sentit. *per text. expressum in Landr. l. 3. a. 6. in fin.* Quanquam de Jure Justinianeo id vix obtinere conjecerim *ex l. inter causas 26. §. non omnia 6. ff. mand.* ubi tamen notat Accursius, istum paragraphum de curialitate, ut ipse loquitur, non observari. Idem tradit Groenvvegen cit. à Dn Brunnem. *ad d. l. 26. §. 6. n. 8.* Damnum verò, quod in corpore suo minister patitur, ut resarciatur à domino, jus neque Civile neque Saxonicum postulat. Pietatis tamen & commiserationis Christianæ ratio vix admiserit, ut ejusmodi corporis damnum, in herili negotio famulo obventum, pro virili resarcire, & v. g. vulneris curandi impensas ferre, illæsâ conscientiâ detrectet dominus. Cæterùm ægrotantem famulum, sive morbus ex herili negotio contractus fuerit, sive aliàs ex communi hominum fragilitate obrepserit, domo statim expellere herus ne quidem jure civili poterit. Servire enim nobis intelliguntur etiam hi, quos curamus ægros, qui cupientes servire propter adversam valetudinem impediuntur, ut ait Paul. *l. cum heres 4. §. Stichus 5. ff. de statuliber.* Et quanquam aliàs, qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debeat, si per eum non steterit, quò minùs operas præstet, ut ait Paul. *l. 38. loc. cond.* Mercedem tamen eo tempore, dum ægrotat, & morbo impeditus heri negotia non tractat, petere haut posse famulum, argumento est *l. ex conduct. 15. §. 5. ff. loc.* Unde fluit, quòd neque famulorum, ante finitum conductionis tempus mortuorum, hæredes totam possint exigere mercedem. Rauchbar *p. 1. q. 25. n. 19.* Coler. *dec. 201.* Carpz. *p. 2. Const. 51. def. 12.* Frantzk. *ad ff. tit. loc. n. 193.* Wissenbach. *ad ff. p. 1. disp. 37. th. 17.* Dn. Struv. *Ex. 24. th. 22.*

§. 44. Dubia ergò redditur sententia Vaudi *lib. 1. var. quæst. q. 2.* & Hillig. ad Donell. *l. 13. c. 9. lit. B.* statuentium, quòd

famulus morbo impeditus integram mercedem petere possit; quod refutatur à Frantzk. *cit. loc. n. 195. & seq.* Add. Gomez. *t. 2. var. Resol. c. 3. n. 1.* Covarruv. *lib. 2. Resol. c. 13. n. 8.* Surd. *de Aliment. tit. 4. q. 23. n. 35.* Dn. Lauterbach. *ad ff. tit. loc.* Utriusq; quidem sententiæ temperamenta proponit Escobar. *de Ratiocin. c. 27. n. 23.* Cævall. *q. 288.* In puncto tamen juris sententiam Frantzkii & allegatorum Doctorum admittit Dn. Brunnem. *ad l. 15. §. 6. ff. loc.* Quamvis æquior ipsi videatur sententia Vaudi propter rationem *ex l. 4. §. 5. ff. de statulib.* modò allegatam. Hinc humanius esse asserit, iis qui ad certum tempus operas locassent suas, si *quibusdam diebus* valetudo impedimento sit, quò minùs operas exhibere possint, hos etiam dies in temporis conventi rationem impendendos esse. Confer. Wissenb. *ad ff. p. 1. Ex 37. th. 17.* Quid verò, si famulus pro tempore, quô fuit infirmus, vult servire alio tanto tempore, & habere integram mercedem, an audietur? Distinguit Bartol. *ad l. ex conducto 15. §. cum quidam. 6. num. ult. ff. loc. conduct.* Hoc modo: Aut quis promisit operas certi temporis, ut puta præsentis anni vel mensis, & non potest supplere operam alio anno; *arg. l. ususfructus mihi in biennium. 6. de usufr. legat.* aut quis tenebatur ad operas unius anni vel mensis simpliciter (quod hodie tamen vix fieri solet, nisi fortè in den Zwang-Diensten) non adjectô, quô præcise anno vel mense, & tunc potest alio anno vel mense supplere, si fuerit impeditus primo anno vel mense, *per l. fecus qui testamento 14. in fin. ff. de stat. lib.* Sunt verba ipsius Bartoli.

CAPUT IV.

De his, ad quæ Servus Domino tenetur passivè, de potestate nimirum domini in servum.

§. 45. Nunc de iis dicere, ad quæ servus domino obligatur, nostra jubet methodus. Ea verò servorum debita, melioris ordinis & distinctionis gratia, poterunt considerari vel *passivè*, vel *activè*. De debitis activis infra; postquam priùs, ad

quæ

quæ passive teneantur, tractaverimus. Eò autem tertio ju illa, quæ habet in servum dominus, quæque, ut in se à domino exerceantur, ferre debet ac pati servus. Et hîc longè maxima inter Romanos s. propriè dictos, & hodierni seculi servos intercedit differentia, uti è dicendis apparebit. Igitur I. sciendum est, veteribus Romanis, retrò scil. ex Antonini & Constantini temporibus, absolutum jus vitæ ac necis in servos competiisse. Quam ipsam vitæ necisque potestatem apud omnes peræquè gentes animadverti, scribit Cajus *l. 1. §. 1. ff. de his qui sui vel alieni juris sunt.* Sed idpropter insimulatus à Nostratibus JCtis Hyperbolæ, quòd nimirum non de *omnibus*, quamvis de *plerisq;* gentibus, verè id dici queat. Hanc tamen, si quæ est, reprehensionem mereri rectiùs mihi videntur Compilatores Digestorum, quos ex Caji Institutionibus *lib. 1. t. 3. §. 2.* locum desumptum interpolâsse constat. Ibi enim non de potestate *vitæ & necis*, sed *simpliciter* de potestate *in servos* asserit Cajus; quòd eam omnes gentes usurpent, nullâ factâ determinatione, qualis quantaque sit ea omnium gentium potestas. Et hoc quidem, si textui fragmentorum ex Caji Institutionibus hodie superstitum, est fides habenda, neque ille locus ab Aniano, Alarici Consiliario, qui istam Institutionum Epitomen Caji composuit, ut Cujacius *in præfatione ad Codicem Theodosianum* censet, interpolatus fuerit.

§. 46. Interim hoc verum est, populorum aliquos eodem in servos rigore usos non fuisse. De Parthis scribit Justinus *in hist. Trog. Pomp, lib. 41. c. 2. §. 4. seqq.* quòd servos pari ac liberos (filios) suos habuerint curâ, equitare & sagittare magna industriâ docentes, adeo ut Antonio quondam bellum Parthis inferenti exercitum equestrem, in quo plus quadraginta millibus servorum essent, objecerint. Sic nostros quoque Germanos humaniter suos habuisse servos, ex Tacito constat. Hic enim *de mor. Germ. c. 24.* refert, etiamsi vel maximè aliquando eorum quis occiderit servum, id non disciplinæ & severitatis gratiâ, sed irâ atque impetu eô factum esse, quali forte in alium inimicum effervescere homo soleat. Quicquid tamen hujus sit, durum certè satis ubique servitutis jugum fuit, apud Romanos

præprimis, propter hoc ipsum jus vitæ ac necis absolutè competens, cumque prætereà in fœdissimum id abusum toto die traheretur, penitùs intolerabile.

§. 47. Quid sævius enim ac immanius excogitari potest, quàm quòd frequentissimo more, institutis fortè spectaculis atque conviviis, à Magistratibus non solùm gentis Romanæ, sed & privatis personis, unô die centum, quin mille & plures simul gladiatores ex miserâ servorum turbâ prodire jussi fuerint, qui mutuis vulneribus, non pro commodo Reip. sed oblectandi gratiâ spectatores atque convivas, exciperent se invicem ac tandem necarent. Neque enim vitæ veniam impetrabat facilè victus, atque se huic victori suo dedens gladiator; & si vel maximè impetrâsset in *præsens* tempus, ipse tamen unà cum suo victore in *alium* servabatur diem, quô per ejusmodi pugnam iteratam denuò vitæ suæ periculum faceret, donec tandem occumberet aliquando. Hinc non ineleganter Seneca, ad miseram horum gladiatorum sortem respiciens, vitæ humanæ conditionem ita effert: *Sine missione nasci homines*, h. e. nulla spe mortem evadendi residuâ. Quin etiam cruentæ suæ voluptatis augmentum exinde sibi conciliabant Romani, ut ejusmodi gladiatoribus servis oculos obnubilarent, obnubilatos equis imponerent, & cæcis ita ictibus se invicem dilaniare, plaudentes adspicerent. Talesque miseri pugnatores *Andabatæ* illis vocabantur, & ansam dederunt proverbio, dum illi, qui disputationis serram reciprocando, rem litigiosam aut controversiæ statum haut intelligunt aut vident, *Andabatarum more pugnare* dicuntur. De quibus omnibus latè Lipsius *2. Saturn. & tr. de magnitudine Rom.* videri potest. Imò & Bestiarum certamini aut dilacerationi dedi Romanor. veterum servos, erat res non nova. Exemplo est Vedius Pollio, civis Romanus & genere Libertinus, qui murenas in piscinis habebat, quas humanâ, servorum scil carne aleret. Neque putandum est, eum gravium reos criminum huic supplicio addixisse: nam & puer, qui casu vas cristallinum fregerat, huic cibo destinatus ab eodem fuit, ceu notum est ex Dion. Cass. *lib. 54. histor. circa fin.* & Sen. *l. 3. de irâ c. 40.*

§. 48. Effreni autem huic licentiæ aut potiùs libidini frenum injecerunt primùm Hadrianus, vid. Spartan. *in Hadr.* Deinceps re non ex voto hujus succedente, Antoninus *l. 1. §. 2. ff. de his qui sui vel al. jur. sunt*, & tandem, neque hujus consilio rem omnem absolvente, Constantinus Imperator *l. un. C. de emend. serv.* ita ut jam tempore Justiniani demta sit dominis potestas (1.) servos suos sine causâ legibus cognitâ *occidendi* & (2) sævitiam *ultra modum* in eosmet exercendi *dd. textibus.* Nam si contra prius fecerant Domini, haut puniebantur minùs, quàm si alienum occidissent servum, *d. l. 2. §. 2.* homicidii nimirum ex lege Cornelia tenebantur. *arg. l. inde 23. §. si dolo 9. ff. ad Leg. Aquil.* sin quoad posterius peccaverant, vendere domini cogebantur servum malè habitum, ita ut in illorum potestatem nunquam reverteretur. *§. ult. in fin. J. de his qui sui vel al. Jur.* Et, ad similitudinem hujus posterioris coërcitionis, jus hodie ait esse Dn. D. Philippi *Ecl. 34. in d. §. ult.* ut jurisdictione sit privandus ille, qui sævierit nimium in homines proprios, quales quippe existere adhuc quibusdam in locis, & servitutis veteris analogiam quandam referre, supra *in præf.* dedimus indicio.

§. 49. Cæterum eam in servos tyrannidem neque in politia Israëlitica tolerâsse DEUM, Pentateuchon passim edocet. *Exod. XXI. 20.* dicitur expresse, quod qui percusserit servum vel ancillam virgâ, ita ut mortuus fuerit in manibus ejus, criminis reus fiat, h. e. juxta Theologor. sententiam, instar homicidæ ultimo supplicio sit plectendus, Lucas Osiander *in d. l.* Id verò quod *ex seq. vers. 21.* dubium ciere posset, ubi dicitur: Sin autem uno die vel duobus supervixerit (servus) non subjacebit pœnæ (dominus) quia pecunia illius est; ita commodissimè explicari posse ex Theologor. sententiâ putamus, quòd eo casu, quô supervixerit post acceptas plagas per diem aut dierum aliquot servus, videatur probabile, herum non animo occidendi, sed castigandi saltem causâ, verberâsse famulum; aliàs enim statim enecâsset eum. Proinde cùm jam in pejorem ac insperatum mortis eventum hæc castigatio ceciderit, accedentibus fortè etiam aliis symptomatibus mortem accersentibus, non poterit de homicidio herus teneri. Animus enim occidenti abfuit, aut

473

certè abfuisse tali casu præsumitur; neque de severiori castigatione tenetur Dominus quippe quæ ipsi utique permittenda est, dum servum non aliquô contractu inter liberos homines celebrari solitô quæsiit, sed suâ pecuniâ, ut loquitur citatô locô S.S. proprium sibi reddidit. Nec obstat immoderata verberum inflictio. Verbera enim non ad ulnam demetiri homines solere aut posse, satis constat.

§. 50. Et hinc inter jura domini adversus servum competentia, præter jus vitæ & necis jamjam explicatum, referimus II. Castigationem atque emendationem. Sicut enim in Judaicâ politiâ eam in servos fuisse licitam ex his, quæ modô §. *præc.* diximus, apparet; ita in hanc verò solam, illud rigorosum jus vitæ ac necis per supra §. *48.* dictas Imperatorum Constitutiones abrogatum, recidisse tandem, satis constat. Et sanè optimâ harmoniâ conveniunt superiùs §. *præc. 49.* ex jure divino prolatis ea, quæ in sua Constitutione hâc super re promulgata definivit Imperator Constantinus. Si virgis, inquit ille, aut loris dominus servum afflixerit, aut custodiæ causâ in vincula conjecerit, dierum distinctione aut interpretatione depulsâ, nullum criminis metum sustineat. Scilicet differentiam ex dierum ratione petitam tollendo, mentem magis quàm verba divinæ legis attendisse videtur, quæ ut suprà §. *præc.* clarum hoc reddidimus, potissimùm ad verberantis dolum, seu occidendi animũ sese refert, tales nimir. *d. l. (Exod. 20.)* circumstantias definiendo, quæ hunc dolũ aut abfuisse aut adfuisse, valde probabili sunt indicio. Convenientissimâ ergo harmoniâ pergit Imperator: nec verò, inquiens, immoderatè jure suo utatur, sed tunc reus homicidii fit, si voluntate (hanc etiam à Lege divina præsupponi supra deduximus) eum ictu fustis (eundem fustem disertè etiam lex divina exprimit, alia arma, & reliquos enecandi modos, quorum in sequentibus meminit Imperator procul dubio Synecdochicè simul includendo) aut lapidis ceciderit, vel certè telo usus lethale vulnus inflixerit, aut suspendi laqueo præceperit, vel jussione terrâ præcipitandum esse mandaverit, aut veneni virus infuderit, vel dilaniaverit pœnis publicis, ferarum unguibus latera persecando, &c. Quæ ipsa *l. un. C. de emend. serv.* recensita

lævi-

sævitiarum genera non certe castigandi, sed penitus necem inferendi adesse docent animum: quæ quippe brevi temporis spatio mortem accelerare solent, neque ad alterum pluresve dies vitæ pertractionem admittunt, id quod ipsum pro κριτηρίῳ posuit Lex Divina, dignoscendi à nuda castigatione crudelem enecandi animum. Alio modo hæc explicat Dn. Brunnem. *ad d.l. un. C. de emendat. servor.* qui Imperatorem à Mose recedere voluisse asserit.

§. 51. Quod hodiernos famulos, tanquam homines liberos, concernit, tam severis castigationibus ii non subjacent. Neque autor sim hero, quatenus hero, suadendi, ut præter verbalem emendationem, sibi aliquam realem præsumat; nisi hæc sit valde modica, & in ministrum vilioris conditionis, justis prætereà causis, adhibita. Talem enim leviorem castigationem hero non esse denegandam *arg. est. l. un. C. de emend. propinq.* Sic & Alex. *vol 3. cons. 73.* tradit, licere dominæ moderatè castigare ancillam. Dixi vero notanter hero, quatenus hero, severioris castigationis in famulum exercendi licentiam non esse. Quod si enim jurisdictione simul aliquâ gaudeat herus, sive loci sive personæ sive aliâ ratione illa competat, aliud omnino videtur esse dicendum. Laxior item castigandi licentia conceditur magistro, mechanicarum præcipuè artium, in eos, quos simul artem docet, famulos, nullo tamen modo sævitia. Hinc quæritur in *l. sed & si 5. §. ult. ad L. Aquil.* si magister in disciplina vulneraverit discipulum, an Aquiliâ teneatur, quasi damnum injuriâ dederit? Et Julianus scribit, Aquiliâ teneri eum, qui eluscaverat discipulum in disciplina. Multo magis igitur in occiso idem erit tenendum. Proponitur autem apud eum species talis: Sutor (inquit) puero discenti, ingenuo, filiofamilias, parum bene facienti, quod demonstraverat opus, formâ calcei cervicem percussit, ut oculus puero perfunderetur: dicit igitur Julianus, injuriarum quidem actionem non competere, quia non faciendæ injuriæ causa percusserit, sed monendi & docendi causâ: An ex locato dubitat, quia levis duntaxat castigatio concessa est docenti. Lege autem Aquiliâ tunc posse agi non dubitat Ulp. *d. l. 5. §. ult.* Qui ipse de puero eluscato casus repetitur

titur quoque *l. 13. §. 4. ff. loc.* Ex quibus textibus notat obiter Dn. Brunnem. percussiones in cervice oculis nocere, quod idem ex Plutarcho Cujacium exemplo probare dicit, ipse autem Dn. Brunnem. hoc præceptoribus in scholis imò & scholarchis notandum proponit, *ad d. l. 5. §. ult. ad L. Aquil. num. 5.*

§. 52. Denique si servus crimen morte aut alio severiori supplicio dignum admiserit, iis judicibus, quibus publici officii potestas commissa est, erit tradendus, ut pro suo crimine puniatur. Vid. *l. 2. C. de accus. ibiq;* Dn. Brunnem. *arg. l. 200 ff. de V. S. & l. 12. §. 4. ff. de accus.* Wissenb. *ad tit. de V. S. disp. 40. th. 3.* quod & quoad ultimum supplicium Romanis legi erat etiam ante Justin. tempora. vid. Caj. *Inst. lib. 1. t. 3. §. 2. n. 4.*

CAPUT V.

De his, quæ Servus præstare debet Domino activè.

§. 53. Nunc ad ea, quæ domino *activè* præstari debent à servo, progredimur, ubi agmen videtur ducere Obsequium. Et quidé quoad servos propriè sic dictos caret dubio, quin absolutissimum suis dominis obsequium illi debuerint, cùm neq; sui juris esse, nec consequenter velle aliquid posse, civiliter credantur, *l. 4. ff. de R. I.* Voluntas ergo eorum debet omnis à domini imperantis voluntate dependere, ac ipsi conformis esse, ita ut membra servi jussa herilia, tanquam jussa propriæ voluntatis, exequantur.

§. 54. Neque istiusmodi perfectissimam servorum obedientiam sacris oraculis, ne quidem in novo fœdere, improbari, docent ea, quæ Paulus inculcat *Eph. VI. v. 5. seqq.* Observanda tamen & hic est communis illa restrictio, DEO magis deberi obsequium, quàm hominibus. *Act. V. 29.* Nam quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram & contra bonos mores sunt, nec facere nos posse credendum est, inquit Papinianus *l. filius 15. ff. de condit. Instit.* Unde Alfenus *in l. servus 20. ff. de obl. & act.* dicit: Servus, non in omnibus rebus sine pœnâ domino (forte *domini* seu *dominico*) dicto audiens

diens esse solet, sicuti, si dominus hominem occidere, aut furtum alicui facere, servum jussisset: quare, quamvis domini jussu servus piraticam fecisset, judicium in eum post libertatem reddi oportet. Nam hæ demum impositæ operæ intelliguntur, quæ sine turpitudine præstari possunt, inquit Callistratus *l. 38. de oper. libert.* Jung. Gell. *11. Noct. Attic. c. 7.*

§. 55. Quod hodiernos famulos attinet, neque de his dubitandum est, quin perfectum hero debeant obsequium. Licèt enim liberæ illi sint conditionis in *actu primo*, isti tamen libertati agendi quoad *exercitium* seu *actum secundum* motu spontaneo renunciâsse videntur, dum per locationem conductionem totos se, suasque omnes operas voluntati & commodo herili addixerunt. Illud tamen, nisi quid aliud nominatim convenit, solum servabitur, quod convenit. Legem enim contractui dedit, *l. 23. ff. de R. J.* v. g. si certa determinatio operarum facta fuerit. Idem erit dicendum, si qualitas officii plenissimum tale obsequium excludat, aut certè mitiget. Sic Pædagogus, quatenus quidem ille soli huic muneri se obstrinxit, fideliter statisque horis liberos informando, corrigendo &c. omninò satisfecisse suis partibus, & à cæteris heri jussionibus esse immunis videtur, nisi in quantum & harum quasdam expediri lex modestiæ & gratitudinis, vel urgens etiam necessitas imperaverit. Nec enim audiendus est, qui poscit operas, quas vel ætas recusat, vel infirmitas corporis non patitur, vel quibus institutum vel propositum vitæ minuitur, Paul. *l. 17. ff. de oper. libert.*

§. 56. Servi II. debent domino corporis & vitæ custodiam. Hæcque ipsa ratio est SCti Sillaniani & Claudiani, cujus sententiâ heres in casu, si testator vi occisus fuerat, antequam de familiâ, seu servis, qui fuerunt sub eodem tecto, vel alio in loco, ex quo domino periclitanti auxilium ferre potuerunt, quæstio habita, & supplicium de noxiis fuerit sumptum, hereditatem adire non potest. *t. t. de SC. Sillan.* Aliter enim nulla domus tuta esse posset, nisi periculo capitis sui, custodiam domini præstare servi cogantur *l. 1. ff. d. t.* Hujus SCti severitas cùm aliunde, tùm maximè patet ex eo, quod D. Adrianus, uti habetur *in l. 1 §. 28. ff. de SC. Sillan.* rescripsit in hæc verba: *Servi, quoties dominis*

suis auxilium ferre possunt, non debent saluti eorum suam anteponere: potuisse ancillam, quæ in eodem conclavi cum domina fuerat, auxilium ei ferre, si non corpore suo, at certè voce plorantem, ut hi, qui in domo fuerant, aut vicini audirent, hoc ipso manifestum est, quòd dixit, percussorem sibi mortem minatum, si proclamâsset: ultimum utique supplicium pati debet, vel in hoc, ne cæteri servi credant, in periculo dominorum sibi quemque consulere debere.

§. 57. Quin & vetustiori more *tota familia*, quæ sub eodem tecto mansitaverat, tali enecationis herilis casu ad supplicium, etiamsi *insons* fuerit, trahi poterat, cujus rei memorabile refert exemplum Tacitus *Annal. XIV. c. 42. seqq.* Præfectô nimirum urbis, Pedaniô Secundô interfectô, quadringenti servorum supplicio fuerunt traditi, prævalente, Senatoribus ipsis hîc ambigentibus, Cassii sententiâ, cujus severitatem neque dissonæ aliorum Senatorum voces, numerum, ætatem, sexum, ac plurimorum indubiam innocentiam miserantium, evertere poterat, neque impedire valebat plebis concursus, quæ tot innoxios vel seditionis impetu protexisset, nisi Cæsar populum, qui conglebatâ jam multitudine saxa ac faces minitabatur, edicto increpuisset, omneque iter, quô damnati ad pœnam ducerentur, militaribus sepsisset præsidiis, quæ fusiùs ap. Tacit. *loco citato* legi poterunt. Talis in servos enecatorum dominorum adhibita crudelitas dubium injicere cuidam posset, annon multa factorum, quæ tanquam singularem in dominos fidem præ se ferentia deprædicantur passim à scriptoribus, formidine pœnæ magis, quàm virtutis amore fuerint perpetrata. Hôc ipsô tamen laudi & admirationi plurimorum ex his, quæ recenset Valer. Maximus *lib. II. c. 8.* nihil detractum volo.

§. 58. Nostris moribus, præter internum pietatis & conscientiæ ligamen, vix est, ut externa vis à Legibus adhibeatur, ad custodiendam dominorum suorum vitam adstringens aut impellens famulos, qui ultrò ejus rationem habere debent, nisi integritatis ac fidelitatis suæ encomio consulere detrectaverint. Non tamen repugnabimus, si quis huic veterum juri putaverit esse conveniens, quòd Jure Saxonico obstricti sint Rustici, si bella publica sæviant, aut incendiarii grassentur, vel domino feudi

à diffi-

à diffidatoribus periculum imminéat, in unoquoque horum casuum ad custodienda castra dominorum suorum, Nov. Elect. Aug. *p. 2. c. 51. ibique Comment.* Extra recensitos casus ad dominorum custodiam sive diurnam sive nocturnam cogi rusticos non posse verius videtur, tam de jure Civili *per text. in l. un. C. ne operæ à Collat. exig. X. l. 1. & 2. C. ne rusticani ad ult. obs. devot. XI.* quàm Saxonico, *per d. Aug. C. 51.* ut & Feudali. Nam cùm exactio operarum sit contra jus commune atque odiosa, Natta *Consil. 185. n. 10.* ideo restringenda potiùs, quàm extendenda, & ita exigendæ sunt operæ, ut rus colere & alere se possint rustici. Gail. *l. 2. observ. 62. in fin.* Hinc etiam subditi meri, qui non ratione feudi obligati sunt, Dominum ad bellum proficiscentem comitari non tenentur, Klock *de Contrib. c. 3. n. 292.* & Thom. Merckelbach *in Consil.* Klock *Vol. 1. Cons. 29. n. 54. & 87.*

§. 59. Potissimùm verò famuli dominis præstare III. debent operas, & quidem eas maximè, de quibus in locatione conductione convenit inter eosdem. Insuper verò nec alias extraordinarias, necessitate & commodo præsertim herili sic efflagitantibus, detrectare illos posse, jam supra docuimus; siquidem casus in familia emergere solent varii, quos omnes determinare, dum famuli conducuntur, est impossibile, servi prætereà ad illud in genere promovendum obligati sunt ac faciendum, quod modô quolibet profuturum sit & complaciturum domino *arg. l. si non sortem 26. §. libertus l. 2. ff. de cond. indeb.* De qua re quoad servos Romanorum propriè ita appellatos minus subest dubii. Horum enim operæ similes judicabantur fructibus ex pecore provenientibus, quô certè uti frui licet quôcunque modô, & quàm fieri potest optumè *l. 3. & 4. ff. de oper. serv.* Debent autem famuli regulariter omne tempus, quoad locatio conductio duraverit, in dominorum impendere servitia, nec sine herili permissu sive expresso, sive tacito aliquid illius temporis furari poterunt negotiis propriis insumendum. Haberi tamen & hîc debet ratio præcepti illius divini, quô requiem Sabbathi festisque diebus capiendam homini juxta & animantibus concedit, quin severè imperat Ter-Sancta Majestas, *Deut. V. v. 14.* Quos ipsos dies sanctificationi destinatos, *Ferias* communiter suevit nomi-

nare Jus nostrum; similiter diem Dominicum, diesque Festos Majestati altissimæ dedicatos semper honorabiles decernendo. *l. ult. C. de fer.*

§. 60. Hinc laudem ex divinæ legis observatione meretur Rescriptum, quod Fœderatorum Belgiorum nomine Supremus Senatus Olandæ in Africa, subditis, quos ibi locorum ea Resp. sibi conciliavisset, quosque Ethnica tunc adhuc temporis magnam partem premeret superstitio, ad gravamina ministrorum Ecclesiæ Reformatæ ibidem subsistentium *anno 1637.* inter alia dedit hujus tenoris, *ut servis sc. propriis (etiam gentilibus) requies debeat per dominicos dies concedi omnibus locis*, quoad Batavorum illa jurisdictio porrigeretur, referente id Caspare Barlæo *in gestis Brasiliensibus pag. m. 202. num. 2.* Impii itaque sunt Anabaptistæ, ab observantiâ festorum Christianos liberantes, omniumque dierum æqualitatem inducentes, suffulti dicto Pauli *Rom. 14. v. 5. & Gal. 4. v. 10.* sed, rectè si verba Apostoli intelligerent, in hanc dementiam haud proropturi. Confundunt enim cultum & ordinem. Nam etsi respectu cultûs divini nullum inter dies hodie sit discrimen, cum & operarii & festi dies satis sint idonei ad cultum Deo præstandum : attamen quoad ordinem sanctior est dies una alterâ, ex ordinatione divina. Stat proinde immota lex moralis divina, quâ Deus discrimen fecit inter dies operarios & festos, jussitque certô tempore corpori quietem concedere ac Deo cultum præstare, ut omnia fiant ordine & decenter. Balduin. *de cas. conscient. lib. 2. c. 13. cas. 3.*

§. 61. Cùm itaque sanctificatio sabbathi in requie à laboribus consistat, expeditum inde redditur, operas domesticas & serviles die Sabbathi esse prohibitas. Caveant ergò sibi domini ne ex nimiâ avaritiâ & studio corradendi opes ordinaria vocationis opera ministris die Sabbathi injungant. Quam admonitionem in Ordin. Eccles. proposuit Elector Saxon. *art. 17. §.* Es sollen aber & §. Es soll auch in Sonn- und Feyertagen iederman verbothen seyn mit Rossen oder Handarbeit/ so auff die Werckeltage gehören zu verrichten/ sondern ernstlich vermahnet werden/ den Gottesdienst abzuwarten und der andern Arbeit müßig zu gehen. Rationes hujus admonitionis referuntur quoque in cit. Ordin. Eccles.

clef. *art. 17. d. §.* Es sollen aber. *in his verbis:* Dieweil sonst sechs Tage in der Wochen/ darinnen solche Dienste 2c.

§. 62. Sed, an suis propriis per feriatos ejusmodi dies vacare possint famuli negotiis? haud incommodè hîc quæri posset. Nos salvâ Dnn. Theolog. aliorumque rectiùs judicantium sententiâ arbitramur, si quidem peractis sacris id fiat, nec operæ istæ, quas suis necessitudinibus impendunt famuli, sint multi strepitûs, aut vehementiorem corporis intentionem requirant; id pœnam civilem non promereri. Rectiùs nimirum concedi posse videtur, ut tunc sibi suisque rebus prospiciant famuli, qui totam septimanam aliorum negotia tractare tenentur, quàm ut otiô impetratô in libidinosas choreas aliasve lascivas recreationes prolabantur. Neque enim ritè sacris totum impendere diem, nec frequentiora caritatis officia egeno proximo exhibere, nec etiam in refocillando corpore modum servare satis rectè sciunt pleriq; illorum hominum. Sicuti nec herilia negotia, quæ dilationem commodè haut patiuntur, his ipsis festivis diebus omittere famulos debere, tutò asserimus, per ea, quæ Carpz. *lib. 2. Jurispr. Consist. def. 251.* tradit. Ex quo porrò sequitur, quando tempore messis rara est serenitas, eaque die dominico effulget, necessitatem eo die labores imperare, modò, quoad ejus fieri potest, cultus divinus non omninò nec ab omnibus negligatur, Balduin. *de cas. Consc. lib. 2. c. 13. cas. 4.* Ne tamen fingatur necessitas, permissionem operarum servilium in Sabbatho à Pastore & Magistratu impetrandam esse, jubet Ordin. Eccles. Elect. Saxon. *cit. art. 17. §.* Es soll auch jederman 2c. Cæterum & aliis diebus præter festivos æquam rationem quietis & sanitatis famulorum quandoque habere decet dominos *arg. l. continuus 137. §. cum ita 2.* verbis: *diebus & noctibus*, item: *habitâ ratione temporis, valetudinis &c. ff. de V. O.*

§. 63. Porrò hîc est quæstio ventilanda: num famuli suorum loco possint substituere alios, & sic liberari à famulitio? Nos, sepositis aliorum opinionibus, juxta juris Justinianei fundamenta hanc rem distinctione decernimus. Aut dominus conducendo famulum, singularem personæ illius delectum aut respectum habuit, quod fieri plerumque assolet; aut

ejusmodi singularem personæ contemplationem non habuit. Priori casu, quem communiorem diximus, juri nostro conveniens est, ut alium sui loco substituere non possit famulus. Sicut in operis artificialibus in dubio intelligitur electa industria personæ, ut non possit substituere aliam. Ludov. Roman. *sing. 670.* Felin. *in cap. cum omnes x. de constit.* quod & in negotiis magni momenti obtinet. Honded *Volum. 1. Cons. 55. n. 77.* Petr. Greg Thol. *lib. 49. Syntagm. Jur. Univ. c. 4. n. 6.* Dn. Lauterbach *ad tit. ff. Mand.* Ita quoque idem asserendum erit in hoc casu de famulis *arg. l. inter artifices 31. ff. de solut.* ubi si artifex *ipse* seu *suis* operis quid faciendum promisit, per alium quendam illud expediri nequit, adjectâ simul ratione, quòd longa inter artifices (ita & famulos) sit differentia. Huc facit, quod in societatis materiâ Papinianus respondit, societatem non posse ultra mortem porrigi, *l. cum duobus 52. §. idem 9. pro soc.* nec heredem socii succedere. *l. actione 65. §. morte 9. ff. eod.* adeò, ut nec ab initio pacisci possimus, ut heres succedat societati *l. 59. eod.* quia qui societatem contrahit, certam personam sibi eligit, *§. solvitur. 5. I. d. t.* Hæcque ratio cùm & nostro subsit casui, idem quoque hîc jus faciet. Semper enim hoc legibus inesse credi oportet, ut ad eas quoque personas & ad eas res pertinerent, quæ quandoque similes erunt, inquit Tertullianus *l. ideò quia 27. ff. de Legibus.* idque hîc vel eo magis, quòd inter herum & famulum etiam intercedat aliqua societas, eaque *personalis*, ceu constat ex Politicis, sicut altera illa est *rerum*.

§. 64. Posteriori autem casu aliud omninò erit dicendum, si sc. probare famulus possit, quòd herus promiscuè ministrum sibi quæsiverit, nec præcisè ad suam respexerit personam. Quia enim in omnibus faciendi obligationibus liberatio contingit, si præstatur interesse, *l. si quis ab alio. 13. §. 1. in fin. ff. de Re jud.* & eô casu nihil interest conductoris, si per alium æquè idoneum ministeria expediantur; tunc non recusari substitutum posse, arg. est *l. 1. §. ne autem hoc. 9. vers. sin autem in faciendo. C. de caduc. toll.* Et isto casu non tàm personæ quàm operarum ratio ab hero fuisse habita videtur, ita ut huic conveniat, quod glossa Germ. *ad* Landr. *p. 2. a. 33. n. 3.* notavit: Einer ver-

mie-

miethet entweder sich selbst/ oder seine Arbeit / vermiethet Er sich selbst / so ist Er nicht mehr frey / vermiethet Er aber seine Arbeit/ solches mag wohl seyn / dann alsdann mag Er wohl einen andern an seine statt darzu bestellen.

§. 65. Multò magis verò tunc substituto erit locus, si earum aliquam ob causam minister illum dare voluerit, quæ aliàs ad solvendum aut suspendendum famulitium justæ reputantur, v. g. conjugium, tutelam, morbum &c. de quibus solvendi famulitii causis inferiùs *cap. 8.* plura dicentur. Hucque facit *l. ad similitudinem 21. C. de Episc. & Cler.* ubi ob dignitatem supervenientem potest quis servire per alium. Non enim debet cui plus licet, quod minus est, non licere, *l. 21. ff. de R. J.* Hinc modernus Serenissimus Saxoniæ Elector eo in casu, ubi per novissimam Ordinat. Polit. subditorum liberos quoad biennium ad famulitia dominis præstanda adstringit, justô hoc impedimentô interveniente concedit, ut per substitutum ministerium præstare licitè possint, vid. Ordin. Polit. Elect. Sax. novissima *tit. 23. c. 3.* ubi sequentia notabilia habentur verba: Würde sich auch zutragen / daß dergleichen Knechte oder Mägde/ ehe sie iemahls einen Dienst angetreten / oder in Zeit des vermietheten Diensts/sich verehlichen / oder ihre Eltern aus einem und andern entstandenen und erweißlichen Zufall sie in ihrer eignen Haushaltung selbsten bedürffen thäten/ sollen sie ob solchen erheblichen Ursachen von ihren Herren / zu Verhinderung ihres verhoffenden zeitlichen Glücks / wann sie gleich niemahls gedienet / oder entweder ein Jahr ausgedienet/oder binnen wehrender Jahrszeit/ einen tüchtigen Dienstboten / der das Jahr vollends ausdienet/ in ihre Stelle geschaffet / an die vorhergesetzte zwey Jahr nicht verbunden/ noch solcher gestalt zu dienen gezwungen seyn.

§. 66. Sicut autem dominus conducens conductæ personæ, ita multò magis servus se suasque operas locans personæ herilis rationem solet habere. Proinde dominus conductor non potest servo invito obtrudere alium herum, qui in locum prioris domini succedat, per *l. operæ 9. §. 1 ff. de oper. libert.* Hoc tamen omninò licebit domino, dum ipse dominus manet, ut operas quæ sibi debentur præstari, alii pro lubitu & emolumen-

mento suo edi jubeat. *l. si non sortem 26. §. libertus. 12. in fin. vers. Et dicit Marcellus ff. de condict. indeb. d. l. 9. §. 1. de oper. libert. l. hominis 3. ff. de usu & usufruct. leg.* etiam invito famulo. Bart. *ad d. §. libertus n. 30.* Hinc quæritur: An operæ rusticorum à Nobilibus & aliis Dominis locari possint, quando ipsi iis non indigent. Negant hoc Dd. quos recenset Berlich. *p. 1. dec. 67.* nisi sit casus necessitatis, sed si operæ certam præstationem pecuniariam admittant, Dn. Brunnem. *ad l. 26. §. 12. ff. de condict. indeb.* concedit, quod alteri possint locari, si domino inutiles sint, modò rusticorum conditio non fiat deterior, nec graviores fiant operæ, quod ut plurimum cessione operarum contingit.

§. 67. Antequam verò ab hâc operarum materiâ penitus abeamus, operæ videtur esse pretium, earum divisionem priùs subnectere. Eas ergò ad manuductionem Ulpiani in *d. l. operæ 9. §. 1. ff. de operis libert.* commodissimè posse dividi summatim arbitramur in *officiales* & *artificiales*. *Illæ* in officio quodam & ministerio exhibendo, seu negotiis curandis consistunt, & discernuntur ab artificialibus, quòd officiales operas quilibet exhibere queat, *per l. legatis 65. §. si ex officio. 1. de leg. 3.* suntque iterum vel honestiores, prout est: associare proficiscentem dominum per terram, *l. quod nisi 20. §. 1. ff. de oper. libert.* servire domino in mensa vel camera *l. 38. eod.* & aliæ: vel sordidiores, quales qui præstabant, mediastini olim vocabantur, *l. fin. ff. de oper. libert.* conf. *suprà §. 7.* & sunt juxta Zasium operæ cujuscunque generis, etiam turpes atque bestiales, puta, verrere pavimentum, domum, aream, plateas, operari in molendino, ruri macerari, haurire aquas, fodere, ligna scindere, & ad culinam ac fornaces portare, metere segetes & colligere, & quæ his similes, *intellect. singularibus, lib. 1. cap. 3. n. 19.*

§. 68. *Hæ* autem, *artificiales* nimirum, operæ dicuntur, quæ consistunt in artificio didicito per doctrinam, ut his verbis eas describit Bartol. *in l. si non sortem 26. §. libertus 12. num. 8. ff. de condict. indeb.* Et hæ partim exhibentur ad exhilarationem domini, quales exhibent cantores, tibicines, & generatim Musici, item pugiles, saltatores, histriones, & alii, quos uno nomi-

ne

ne Ulpianus *voluptatis artifices* dixit, *l. ut jurisjurandi. 7. §. dabitur. 5. ff. de oper. libert.* Partim verò & frequentiùs concernunt personale commodum domini, quas præstant circa personam, res & patrimonium ejus occupati, veluti sartores, tonsores, fabri tàm lignarii, quàm ferrarii, pistores, librarii, calculatores, scribæ, & similes, quos videmus tàm in ædibus privatorum, quàm in aulis præcipuè Magnatum necessarios, & ad latus esse Principis, ut eorum operis quocunque tempore pro se suisque vestimentis, equis, curriculis, item in mensâ & cellis, proque libris, rationibus & epistolis suis utatur, Jason. *in d. §. libert. n. 3.* Wissenb. *p. 2. ad ff. Disp. 14. th. 1.* Dn. Struv. *Ex. 37. th. 61.* Dn. Brunnem. *ad l. 9. ff. de oper. libert.* Zas. *lib. 1. sing. intell. c. 3.* Dn. Hahn. *ad Wesenb. de oper. libert. n. 3.* Differentia hujus divisionis *ex l. 6. l. 9. & l. 18. ff. de oper. libert.* patet.

CAPUT VI.

De casu, culpa & dolo præstandis à famulis, ut & dè furtis eorum.

§. 69. Hactenus, quæ activè præstanda esse à famulis docuimus, ad statum bene ordinatum seu regularem & rectum sese referunt. Jam sequuntur præstanda quoad statum declinantem à recto seu irregularem aut devium. Nimirum quia non semper res operæque ex voto domini, & prout decet quidem, geruntur, videndum erit, quatenus teneantur famuli, si quid domi eveniat, hero ipsiusque rebus noxam quod afferat. Solent verò JCti causarum damna parientium tres ordines constituere. Quædam enim eorum contingunt casu, quædam emergunt culpa, quædam admittuntur dolo. *l. 23. ff. de R. J.*

§. 70. *Casum fortuitum* quod attinet, ille describitur, quòd sit damnum fatale seu inopinatum, quod consilio, prudentiâ ac diligentiâ humanâ prævideri atque averti non potest, *l. 6. C. de pignor. act. & alibi.* Hîc autem regula obtinet generalis, quòd casus fortuitus à nemine & in nullo contractuum debeat præstari, *d. l. 23. de R. J. l. 6. C. de pignor. act.* ubi verba, *in nullo bonæ fidei judicio*, adjecta non sunt ad excludenda judi-

cia

cia stricti juris, per *l. 23. de V. Obl. & l. 5. ff. de reb. cred.* sed addita propter eos contractus bonæ fidei, in quibus solius debitoris utilitas versatur, cujus generis est commodatum. Nam si hìc non præstatur casus, multò minùs illic præstari debet, ubi solius creditoris commodum vertitur, quantumvis contractus sit stricti juris. Don. *ad d. l. 6.* Igitur nec in locatione conductione præstabitur, nec consequenter ad ministrum, sed ad dominum casus ejusmodi pertinebit, *l. item quæritur 13. §. si gemma. 5. ff. loc. cond. Add. l. si fundus 33. vers. quemadmodum. ff. eod.* Exceptio est (1.) nisi expressè per aliquod pactum (quod tamen in hac nostra famularis locationis specie perrarò fieri puto) tale etiam periculum in se susceperit minister. *d. l. 13. §. 5. ff. loc. cond.* & (2.) nisi dolus ministri vel culpa quædam casui intervenerit, vel præcesserit. *l. 5. §. 4. & 7. eodem.* Is autem, qui suscepit casum, vi conventionis etiam casus insolitos præstare debet. *l. 78. §. ult. de contrab. empt. l. 1. C. deposit.* Ag. Pinell. *ad l. 2. C. de rescind. vend. p. 1. c. 3.* Fachin. *1. Controv. 86.* Hieronym. Panschman. *1. pract. quæst. 7.* Dissentiunt quidem Gomez *2. Resol. 3. n. 19.* Menoch. *2. arbitr. jud. q. 8. n. 6.* Nicol. Burgund. *de peric. & culpa.* Verum eorum dubiis ex his, quæ Bronchorst *1. Miscell. 15.* exhibet, satisfieri potest, quamvis negari nequeat, quòd contrasentientium æquior videatur opinio, quæ forsitan melius ex ratione, quàm textu probari poterit, ut tunc procedat, si casus sit planè inusitatus vel insolitissimus, qui fortè mille annis semel contingat, ita ut de eo non cogitârint contrahentes. Vid. Dn. Carpzov. *p. 2. Const. 26. def. 8. ibid. alleg.* Græv. *lib. 2. Conclus. 23. consid. 4. n. 6.* Franciscus de Clapperiis *2. Dec. caus. 83. q. un.* Dn. Brunnem. *ad d. l. 78. ff. de contrab. empt.* Cæterum allegans casum an & quatenus probare debeat, eum absque suâ culpâ contigisse, docet generaliter Hartm. Pist. *q. 18.*

§. 71. *Culpam* quod concernit, ea describitur, quòd sit inertia atque desidia, quâ quis in re alienâ facit, quod fieri non debet, vel negligit, quod fieri oportet, *l. 91. de V. O. l. 72. pro soc.* Sicut autem alia negligentia est enormis ac magna, alia mediocris, alia minima; ita etiam Doctoribus alia culpa est lata, alia levis, alia levissima. Non enim in omnibus indistinctè negotiis

æquam

æquam diligentiæ alacritatem, nec consequenter similem ab omnibus culpam seu omissæ diligentiæ præstationem & restitutionem leges efflagitare, passim ex iisdem constat. Id quod ipsum ansam differentiæ memoratæ præbuit, & difficiles hinc inde quæstiones peperit simul, quæ in quolibet negotio culpa veniat, ut loquuntur, præstanda? Hinc varias ex diversis juris textibus, inter quos celebris est *l. 5. §. 2. ff. Comm.* exstruxerunt regulas hujus ad rei determinationem Interpretes.

§. 72. Quoad nostrum igitur thema, ex communibus illis regulis, ea huc applicanda videtur, quæ docet, quòd in contractibus, in quibus utriusque contrahentis versatur utilitas, contrahentes levem præstare culpam teneantur, *d. l. 5. §. 2. comm.* Et cùm tale mutuum emolumentum heri non minùs, qui servitia, quàm famuli, qui mercedem amplexatur, etiam hîc intercedat, consequenter juxta hujus regulæ tenorem ministri ad *levem* culpam dominis suis præstandam erunt obligati, quam culpam levem etiam generaliter huic locationis conductionis contractui inesse, exprimit *d. l. 5. §. 2. ff. comm.* Quin & videtur dicendum, quòd neque levissima culpa hîc excludenda sit. Idq; confirmare vult cùm *l. si merces 25. §. 7. in fin. ff. loc. cond.* ubi tunc demum culpa abest ab his, quorum opera utimur, si omnia facta sunt, quæ diligentissimus quisque observaturus fuisset; tùm etiam ratio, quòd in expediendis iis, quæ ad alios spectant, & expedienda suscepimus, etiam omnem culpam videamur in nosmet recepisse. Aliena enim negotia exacto officio geruntur, nec quicquam in eorum administratione neglectum aut declinatum, culpâ vacuum est, uti generaliter definit Imp. Constantinus *l. 21. C. mand.* Quod ipsum in ministris artificium certum profitentibus dubii minus habere censetur, quia is, qui singularem peritiam profitetur, nihil omninò ex imperitia debet committere *l. 9. §. pen. ff. loc. cond. l. 8. §. 1. ff. & §. impetu. 8. Inst. de leg. Aquil.* Verùm cùm *cit. l. 25. §. fin. ff. loc.* vel sit explicanda de casu, ubi tales res, quæ leviter franguntur, interveniunt, ut summam diligentiam requirant; vel secundùm alios hoc modo sit interpretanda, ut loquatur de artifice, qui singularem peritiam artis professus locat suas operas; vel de-

nique cum Vinnio sit resolvenda, ut verbum *diligentissimus* hoc loco secundum subjectam materiam & naturam contractus non summam, sed mediam diligentiam denotet: Ideoque si famulus operas locaverit, propter utriusque utilitatem, quæ hic subest, mitiùs cum eo agendum, ipsumque non nisi ad culpam levem astringendum esse putamus, per ea quæ exhibet Carpz. *p. 2. Const. 37. def. 24.* Bachov. ad Treutl. *Vol. 1. Disp. 29. th. 6. lit. E.* & Dn. Brunnem. *ad l. 28. C. locat.* Vinn. *ad §. ult. Inst. loc.* ubi hæc accuratiùs resolvit.

§. 73. Quæ hactenus de culpâ famulorum præstandâ diximus, sese referunt potissimùm ad culpam in operis illis, ob quas præcisè conducti sunt, sive officialibus, sive artificialibus admissam. Supra autem monuimus, teneri famulos etiam ad alia extra ordinem officia, necessitate aliquando, utilitate & voluntate heri illud efflagitantibus. Ad quam verò tunc famuli, versantes ita in operis non propriè ad se pertinentibus, culpam teneantur, haut ineleganter quæri poterit? Resp. Si operæ ejusmodi extraordinariæ sunt *communiores* & *faciliores*, ita ut nullo negotio possint à quovis expediri, cerebrum non in calcaneo gestante, v. g. vas portare vitreum seu aureum de loco in locum, aliquam pecuniæ pertinentis ad herum portionem ad dies aliquot asservare & similia; tunc æquè ac negotiis expresse concreditis illam diligentiam, ad quam aliàs adstricti sunt, adhibere debent. Ratio peti potest tum ex generalitate textûs *in d. l. 21. C. mand.* de qua *th. præced.* cùm exinde, quòd culpa in expediendis communioribus ejusmodi officiis commissa, quali quali etiam parvitatis excusetur velamento, si penitiùs attendamus, incidat ferè in latæ culpæ confinia, dum, qui in hisce facilimis expeditionibus hallucinatur, omittit certè ea, quæ communis hominum natura desiderat, *l. 32. ff. depos.* neque id intelligere videtur, quod vel omnes intelligunt, *l. 113. §. ult. ff. de V. S.*

§. 74. Quæ ipsa *dd. textibus* pro signis culpæ latioris ponuntur. Sic & Bartolus *in d. l. Nerva 32. ff. depos. n. 17.* eam describit, quòd sit deviatio incircumspecta ab eâ diligentiâ, quam communiter habent homines, qui sunt ejusdem professionis &

con-

conditionis, sive, ut ad nostrum thema applicationem faciamus, deviatio ab eâ diligentiâ, quam habere regulariter quivis alii bonæ frugis famuli solent. Hanc verò latam culpam dolo similem in civilibus reputari, adeoque nunquam non præstandam esse, passim inculcatur, ut *l. 8. §. 3. ff. de precar. l. 7. §. 1. ff. de susp. tutor. l. 22. §. 3. ad SCt. Treb. l. 7. ad L. Cornel. de Sic. l. 20. C. de neg. gest. l. 7. C. arbitr. tutel.* quia doli ac malitiæ quasi consanguinea est, siquidem is, qui negligentiam tantam admittit, ferè præsumitur illam affectâsse & studio neglexisse. Dn. Struv. *Ex. 19. th. 21.* Hinc ergò sequitur, ut, si juxta exempla superiùs §. *præc.* proposita, v. g. vas vitreum minister fregerit, aureumve perdiderit, vel etiam pecuniam concreditam amiserit, & culpâ hoc factum sit, etiamsi non vasorum aut pecuniæ, sed aliorum negotiorum administratio ad eum spectet; nihilo tamen minùs resarcire damnum teneatur. Idem & in cæteris qui consimiles erunt, casibus, dicendum, nullâ adhibitâ distinctione, sive jussu, sive motu spontaneo ac necessitate sic flagitante, hoc fecerit famulus, de quâ *th. seqq.* agetur. Sexus tamen, ætas, morbus aut naturalis simplicitas famuli meritò exceptionem quandoque admittent. vid. Gothofred. *ad d. l. 32. ff. depos. lit. F. in fin.*

§. 75. Quod si verò istiusmodi extraordinariæ operæ sint *minùs vulgares* aut faciles, sed singularem quandam scientiam seu exercitium aliquod præsupponant requirantve, qualis est v. g. equitatio, vehiculi gubernatio, & similes; tunc quoad nostram de præstandâ culpâ quæstionem distinguimus inter spontaneam & demandatam istarum operarum exhibitionem. Illam vocamus, si minister tale extra sphæram suam præstare servitium proprio motu præsumat, etiamsi bonâ intentione, & tunc eum itidem ad omnes culpæ gradus teneri arbitramur. Similis enim tunc videtur ei, qui alterius negotia gerens ad levissimam quamlibet se culpam facit obstrictum, *§. 1. I. de obl. quæ qs. ex cont.* nec causa est, cur levius talis obligetur, quàm depositarius, qui sponte se deposito obtulit, *l. 1. §. sæpe 35. ff. depos.* cùm affectare quisque non debeat, in quo vel intelligit, vel intelligere debet, infirmitatem suam alii periculosam futuram,

juxta generale Gaji enunciatum in *l. 8. §. 1. ff. ad L. Aquil.* Vid. Caroc. *in tr. de depof. t. 21. de culp. n. 12.* Trentac. *de depof. ref. 2. n. 13.* Mantic. *de tac. & ambig. convent. lib. 10. tit. 9. n. 19.* Nec refert, fi bona intentio adfuerit; culpa enim eft, fe immifcere rei ad fe non pertinenti. *l. 36. ff. de R. J.* & factum cuique fuum, non alii nocere debet, *l. 55. eod.* Multò magis ergo hæc obtinebunt, fi ex levitate animi faciendum fibi quid minifter fumferit, *l. ita demum 31. ff. de recept. arbitr.*

§. 76. Hanc verò fc. demandatam (non fpontaneam de quâ *th. præced.*) operarum extraordinariarum, earumque haut vulgarium, à famulo exhibitionem quod attinet, fi nimirum juffu domini quid expediendum minifter fufcipit, eo cafu vix ultra latam culpam, ratione illius operæ non vulgaris admiffam, teneri putamus. Sibi enim dominus imputabit, quòd non folertiori fervo rem fuam expediendam commiferit, *arg. §. 1. I. quib. m. re contr. obl.* Damnum autem fi quis propriâ culpâ fentit, non fentire videtur, *l. 203. ff. de R. J.* Nec eft, ut mandati regulas huc applicare velis. Mandatum enim nonn fi amico, & quidem gratis committitur, *§. ult. I. de mand.* Famulus autem longè inferior dominô ipfius imperium magis, quàm amicitiam colit, neque tàm officium, quàm obfequium ipfi præftare intelligitur, mercedis lucro illectus, neque juffus heriles absque incivilis & refragantis animi notâ recufare poteft. Unde ne quidem etiam tunc ultra, quàm dictum eft, in cafu propofito tenebitur, fi fcifcitantem dominum de viribus fuis bono effe animo jufferit. Nam ficut de facultatibus, ita & de aliis fuis viribus ampliùs, quàm in his eft, plerumque fperare homines folent, *§. 3. I. & l. 10. ff. qui & à quibus manum.* Aliud eft, fi expreffâ fub conditione, ut, nifi fiduciam rem bene gerendi habeat, eam intermittat famulus, juffa herus fieri cupiat. Hîc enim conditione deficiente, nec mandatum effe impertitum videtur, & ideò, fi imbecillitatem fuam cognoverit, quam utique fcire debet minifter, contra voluntatem heri omninò fit, fi quid fufceperit & peregerit famulus. *arg. l. neceffario 8. pr. init. ff. de peric. & commod. rei vend.* Omnium autem optimè fibi famuli profpicere ifto cafu poterunt, fi proteftantur, quicquid

quid delati officii exequuntur, pietatis atque decentis obsequii ductu erga herum se præstare, per *l. & si quis 14. § plerique 8. ff. de religios. & sumt. fun.* Præterea, si necessitatis lege quid susceperit famulus præstandum, meritò tunc etiam tutus erit. Vid. Dn. Ahasver. Fritschii *Diss. inaugur. de præsidio necess. contra legem*.

§. 77. Juxta ejusdem distinctionis normam decidenda etiam videtur quæstio: An & quatenus propter culpam sui famuli, quâ aliis damnum intulit, herus teneatur? Nimirum aut in officio, ad quod deputatus est, aut extra officium suum culpam famulus admittit. Nam, ut declarat Calderus *in cons. 2.* duplicem minister videtur sustinere personam, unam propriam, ut quilibet privatus, alteram officii ratione. Quod igitur extra officium suum facit minister, id videtur ut privatus facere. Unde cùm ex alterius facto nemo debeat prægravari *c. non debet aliquis 22. x. de R. J. in 6.* etiam eô casu pro servi culpa non rectè convenitur dominus. Mod. Pistor. *p. 2. q. 89. num. 3.* Quò nos referimus, quod Alphenus dicit *in l. si vendita 11. ff. de peric. & commod. rei vend.* si servorum negligentiâ factum sit incendium, non continuo dominum in culpâ esse, quamvis maximè verum sit, incendia plerumque fieri culpâ inhabitantium, *l. 3. §. 1. ff. de off. præf. vig.* Hæc enim præsumptio tanti non est, ut actorem ab onere probationis relevet. Dn. Arumæus *Ex. 17. th. 14.* Koppen. *dec. 38.* Rauchb. *p. 2. q. 10.* Finckelthus. *observ. 89. per tot.* Laurent. de Pinu *Consil. 142. n. 15.* Nam potest incendium oriri culpa inhabitantis citra culpam patrisfamilias, ideoque magnâ circumspectione hîc opus est, an ex causa extrinseca, an casu, an verò culpa sit exortum incendium. Menoch. *lib. 2. A. J. Q. c. 390.* Bachov. ad Treutl. *vol. 1. Disp. 18. th. 8. lit. C.* Gail. *2. observ. 21.* Joh. Aloys. Ricc. *dec. 181.* Paul. Bul. *ad l. 11. ff. de peric. & comm. rei vend.* Et ita pronunciavit Colleg. JCtorum Academ. Wittenb. & Jenens. Quamvis verò dissentiant Scabini Lipsienses teste Carpz. *p. 1. Prax. Crim. q. 39.* tamen eorum sententia in *Decis. Elect. 79.* reprobata est.

§. 78. Secus est, si famulus admittat culpam in eô, cui præest, officio. Tunc enim rectè dominum conveniri posse,

argu-

arguit textus *in l. 1. pr. junct. §. famil. 5. ff. de publican.* Carpz. *p. 4. c. 43. d. 7.* Hinc infert Joseph. Mascardus *de probat. lib. 2. concl. 892.* si incendium oriatur culpâ stabularii in stabulo, vel culpâ coqui vel coquæ in culina, dominum omninò teneri de tali incendio, delinquentibus quippe famulis in officio, cui præpositi. *l. 3. §. 1. ff. de off. praef. vig.* Non idem obtinet, si dictum incendium ortum sit culpâ alterius ad istud officium non deputati. Neque in Foro Saxonico aliter se res habet, de quo tamen jure saltem ad quantitatem usque mercedis, quam famulo debet, herus tenetur. LandR. *l. 2. a. 32.* De jure Civili in solidum pro famulo herum teneri, colligas *ex leg. un. §. 5. ff. furt. advers. naut. verb. liberum hominem adhibens, statuere debuit de eo, qualis esset.* Valdè tamen æquum est, ut paterfamilias non aliter teneatur ob incendium negligentia familiæ ortum, nisi de hac ipsa familiæ negligentia monitus prius fuerit, neque monitum observaverit. Quam æquitatem amplectitur quoque Sereniss. Elect. Saxon. *in alleg. noviss. Decis. 79.* Olim, quoad servos propriè dictos, noxales hâc de re actiones proditæ erant, quibus domino damnato permittebatur aut æstimationem sufferre, aut ipsum hominem noxæ dedere. *pr. & t. t. I. & ff. de noxal. action.* quæ nunc, mutato servorum statu, in usu esse desierunt. vid. Dn Hahn. ad Wesenb. *de nox. act. n. 7. ibique alleg.* Hermann. Stamm. *de servit. personal.* & Dn Mev. *ad Jus Lubec.*

§. 79. Si proinde ex ejusmodi culpâ servi, prout hactenus edoctum fuit, damnum aliquod herus senserit, sive directè sive forsan, dum alii cuidam famuli sui culpam præstare coactus fuerit, indirectè, recuperare id potest actione conducti, vel si locatio non intervenerit, præscriptis verbis, *§. 1. l. de loc. cond.* Cæterum aliud quoque competit remedium, quô meliùs sibi herus consulere potest, jus nempe Retentionis, ut tantum scil. de mercede nocenti ministro debitâ retineat, quantum est, quod damni passus fuit, *l. 4. ff. de compens.* Interest enim nostra potius non solvere, quàm soluta repetere *l. 3. ff. d. t.* sicut & è contrario famulum pro mercede sua residuâ, idem retentionis jus in ædibus domini habere, jam supra monuimus, addito hac vice

hoc

hoc notabili, quòd pro salatio, quod nullâ diligentiâ à Domino famulus capere potuit, res quasdam isti æquivalentes impune furari possit, juxta Bonacoss. *de serv. & famul. q. 114. per toi.* & Carpan. *in Stat. Mediolan. p. 2. c. 495. n. 8.* ad hoc, ut pœna suspendii cesset; quamvis negari nequeat, aliam arbitrariam obtinere, vid. Berlich. *p. 5. Concl. 45. n. 49.* Dn. Carpzov. *p. 4. Const. 38. def. 2.* & Dn. Mev. *ad Jus Lubec. lib. 3. tit. 8. art. 9. n. 11. conf.* §. *82. in f.* Notandum hîc denique venit, quòd onus probandi ei incumbat; qui dolum vel culpam allegat, juxta Scævolam *in l. Chirographis 37. princ. in fin. ff. de admin. tut.*

§. 80. Nunc, quatenus *dolô* admissum resarcire damnum hero minister debeat, contemplandum erit. De servis quidem propriè dictis non opus est, quæstionem facere. Hi enim cùm nihil proprii habeant, sed omnia, quæ acquirunt, Domino acquirant, §. *item vobis 3. I. per quas personas c. acqu.* ideò qui damnum ab eo datum repeteret dominus, ex sui ipsius bonis id resarcire deberet. Nemo autem sui ipsius debitor esse potest, *per vulgata.* Et hoc obtinet adeò, ut si in alienam potestatem servus pervenerit, neque cum ipso, neque cum eo, cujus nunc in potestate sit, agi queat, § *6 I. de noxal. action.* Et hoc obtinet, sive dolo sive culpâ sit admissum aliquid. Servi enim propriè ita dicti ex modò allatis rationibus nihil præstabunt, aut resarcient, nisi id pro doli præstatione accipere velis, dum eos *domi convenire*; h. e. verberibus castigare eô casu jubent Impp. Diocletianus & Maximin. *in l. ult. C. an servus pro suo facto.* Conducti autem liberique famuli, quales hodie habemus, si quid damni rebus herilibus sive per culpam, de quâ in *praeced.* §§. dictum, sive per dolum inflixerint, ad restituendum illud omnimodò tenentur, cùm dolus in nullo non contractu sit præstandus, adeò, ut nec conveniri per speciale pactum queat, ne dolus præstetur, *l. 23. ff. de R. J.* Porrò, quia furtum nunquam sine dolo perpetratur, §. *1. junct.* §. *7. I. de obl. quæ ex delictis nasc.* meritò hîc, antequam hinc abeamus, de furto famulorum quædam erunt dicenda.

§. 81. Primò igitur, quod servos propriè dictos veterum

concernit, Jure Justinianeo in eos iterum nulla competit actio, si rem domini surripuerint, etiamsi revera furtum committatur eo casu,& res surrepta in furtivam causam incidat,ita,ut cum aliis rebus furtivis nequeat usucapi, *§. hi qui in parentum 12. I. d. t. de obl. quæ ex del.* Ratio est (1.) *in l. 17. ff. de furt.* quòd dominus ipse in furem servum possit statuere, & propter delictum animadvertere, quod maximè jure veterum licuisse suprà jam monuimus § *50.* (2.) in *l. 4. ff. de judic.* quòd lis omninò nulla esse possit cum eo, quem in potestate habemus. Nec ergò in aliâ ullâ causâ potest inter Dominum atque servum actio enasci *d. §. 12. I. de obl. quæ ex delict.* Et secum ipso agere velle videretur dominus cum servo acturus, *d. l. 16. ff. de furt.* Adeò ut quæ ab initio erat actio, cum adhuc esset servus alienus, intercidat, quando in ejus, cui furatus fuerat, potestatem venit, *l. quod dicitur 18. ff. de furt.* (3.) quòd servus omninò incapax sit; ut ulla seu civilis seu criminalis cum eo actio instituatur. Quapropter etiam talia furta publicè i. e. criminaliter de J. Civ. vindicari nequeunt, per *l. 11. §. 1. ff. de pæn.* Molin. *de J. & J. tr. 2. d. 686. per tot.*

§. 82. Imò non modò adversum servos proprios, sed etiam in famulos atque mercenarios ex hominibus liberis conductos jure civili actio denegatur. *l. si libertus 89. ff. de furt.* Cujus rei rationem in rerum communione ponit Calvinus *Lex. Jurid. voc. Domestica furta pag. m. 300. col. 2.* Sed hæc in nostri temporis servis, ancillis, mercenariis & famulis non amplius locum habent, quin potius contra illos ordinaria suspendii pœna decerni potest, teste Jul. Clar. *lib. 5. sent. §. furtum. num. 22.* Anton. Fab. *in Cod. lib. 9. tit. de pæn. def. 2.* Virgil. Pingitz. *q. 47. n. 12.* Idque non immeritò, siquidem hæ personæ propter fidem debitam atque promissam longè graviùs delinquunt reliquis furibus, secundum ea, quæ tradit Matth. Wesemb. *ad §. 9. n. 5. I. de publ. judic.* & proditionis speciem habet crimen furti à famulis perpetratum, quibus omnia committimus. Nec quisquam fures domesticos effugere posset, nisi eos pœna severior à tanto facinore retrahat. Wesenbec. *in par. ff. ibique* Dn. Hahn. *n. 8.* Quoad jus Saxonic. Serenissimus Augustus idem disertè

con-

confirmavit, *part. 4. c. 38. d. 1.* ubi & præjudicium addit B. Carpz. *de anno 1626.* hunc in modum: Hat euch eure Magd an Kleidern so viel gestohlen/und dieblichen entwendet/ daß es über 5. Ungarische Ducaten austrägt/ wenn sie nun gleich dessen geständig/ auch sonsten in dergleichen Fall/und wenn von dem Gesinde Diebstahl begangen wird/ auch die ordentliche Straffe des Stranges statt hat etc. *ad d. C. 38. d. 3.* Et refert Daniel Moller, *in Commentar. ad d. Const. Sax. p. 4. c. 38. n. 3. sub fin.* famulum quendam, intercedente quamvis domino & deprecante, laqueô suspensum fuisse. Mitiganda tamen est pœna furti, si ratione salarii denegati quid surripuerint famuli. Carpz. *d. l. d. 2.* Conferantur illa quæ *sup. §. 79. circ. fin.* dicta sunt.

CAPUT VII.

De culpa, dolo, & furtis eorum, qui ex officio demandato res pecuniasq; heriles administrarunt.

§. 83. Hisce jam tractatis, in hoc novo capite monendum est, quòd speciale quid obtineat in iis ex hominum liberorum sorte ministris, ad quos rerum & pecuniarum herilium concredita spectat administratio, quales sunt Præfecti, Quæstores, Verwalter/ Vögte etc. si quid illi ex his aliquid fraudulenter ac dolose interverterint. Dico fraudulenter ac dolose. Quod si enim ex *culpâ* quid neglexerunt, ea, quæ *cap. præced.* disputavimus, huc referri commodè poterunt: nisi quòd quoad latam culpam dubitatum fuisse à quibusdam videtur ex iis, quæ Carpz. *p. 4. C. 41. d. 8.* profert, quasi hæc aliàs dolo æquiparari solita, *l. 47. §. 5. ff. de leg. 1.* in istiusmodi specialiter concreditâ administratione eam quoque, quam dolus, ordinariam secum pœnam ferat. Sed sciendum utique est, eam in criminalibus absolutam comparationem doli atque culpæ latioris non procedere. Est enim in latâ culpâ doli saltim quædam præsumptio: eâdem ergò, quâ ipse dolus, pœnâ coërceri non debet, *l. 7. ff. ad L. Corn. de sicar. & venef.* Hôc igitur tan-

quam fundamentô propriô inniti videtur, quod aliâ ex ratione affirmavit B. Carpzov. *d. l.* de istiusmodi administratoribus, eos nimirum, si ex negligentiâ quicquam suppresserint, aut pecuniam in usus proprios converterint, animô tamen & propositô id postmodum restituendi, & in rationes subsequendas referendi, ad restitutionem damni obligatos, non tamen furti ordinariâ sed arbitrariâ pœnâ esse coërcendos.

§. 84. Dico: *arbitraria.* Etiamsi enim non simili, quâ dolus, digna videatur pœnâ culpa latior, ut monitum, nihilô tamen minùs pœnam aliquam corporalem quandoque, maximè in exemplum & cautelam aliorum, illa meretur, per elegantem textum *in l. 3. §. 1. ff. de off. praef. vig. & alibi.* Quod idem quoque observatum est in Scabinatu Lipsiensi, uti ex subsequenti *Mense Majo anno 1615.* lato præjudicio apparet, cujus verba hæc sunt: So ist inquisit den articulirten Graserey Zinß/ den er zur Ungebühr eingehoben / wie auch den articulirten Abgang an Getreydig / so er zwar berechnet/ aber solchen den Leuten vorenthalten / zu erstatten / auch die in dieser Inquisitionsachen auffgewandte Unkosten zu erlegen schuldig/ und mag hierüber/ daß er sich nicht besser vorgesehen / und seine Bestallung in gebührende Acht genommen / gestalten Sachen nach / weil er gleichwohl zu seinen Schutz und Entschuldigung etwas angeführet / daraus so viel erscheinet / was dißfalls von ihm verübet und er verbrochen/ nicht dolosè geschehen / mit zeitlicher Landsverweisung gestrafft werden / V. R. W.

§. 85. Aliud est, si quid eorum animô dolosô, & dominum defraudandi causâ fecerit minister. Etsi enim administrator pecuniam curæ suæ commissam in proprios usus convertens, verè eam non contrectet aut amoveat, attamen per translationem dolosam ad alios usus illam contra domini voluntatem contrectare saltem videtur, Matth. Wesenbec: *in parat. ff. de furt. n. 4* ut dubium vix sit, hôc casu furtum committi. *§. 1. I. de obl. quæ ex del. nasc.* Quare & infidelis ejusmodi administrator furti actione tenetur, *arg. l. tres tutores 55. §. 1 ff. de admin. & peric. tut.* & jure quidem Justinianeo in pœnam Legis Juliæ de residuis incidit, ut proinde pœnâ pecuniariâ, nempe

ter-

tertiâ amplius parte, quam ex residuo debet, puniendus sit, hoc modo, si ex residuo debeat 300, ut tam illa 300, quàm ultra ea adhuc 100. solvere teneatur. Petr. Caball. *Resol. Crim. q. 99. num. 46.* Farinac. *Prax. Crim. q. 171. n. 95.* Bachov. ad Treutl. *vol. 2. Disp. 32. th. ult. lit. G.* Berlich. *p. 5. concl. 57. n. 14.*

§. 86. Animæ amissionem verò talibus non irrogari, expressè cautum reperitur *§. pen. I. de publ. jud.* Hinc forte etiam est, quòd nec hodiè, ubi pœna furti jure Carolinô exasperata fuit, possit pœna suspendii hac in specie, ut in aliis quidem furibus, locum sibi vendicare, sed extraordinariâ pœnâ ejus criminis rei puniantur, B. Carpz. *P. C. 2. q. 85. n. 9. 15.* Non obstante, quòd Constitutio Criminalis Caroli V. *art. 170.* eos, qui res sibi concreditas intervertunt, pœnâ furti generaliter affici jubeat. Ratio hujus lenitudinis videri potest, vel quòd administratores non tam invitô dominô pecuniam contrectare videantur, quàm perfidè agere, ut loqui & distinguere amat *d. l. 5. §. 1. ff. de adm. & peric. tut.* ubi similiter furtum à tutoribus commissum sub hoc administrationis velamine temperatur, *add. l. 9. §. 2. ff. ad L. Jul. pecul.* vel quòd administrator perfidus non tantum præbeat scandali, atque is, qui rem apud dominum adhuc exstantem propriâ autoritate occupat, ut meritò hoc casu pœna suspendii rigorosa debeat cessare. Ægid. Boss. *in tract. crim. tit. decret. Mediolan. vers. & ratio diversitatis.*

§. 87. Quoad jus Saxonic. minus subesse dubii videtur. Nam eô jure pœnam furti ordinariam ii solummodò incurrunt, qui rem aliquam ex domini possessione abstulerunt. LandR. *lib. 11. a. 29. in fin.* ibi: Kein Dieberey aber hat er erstlichen daran gethan / die ihm an seine Ehre oder an seinen Leib gehet / oder an sein Gesund / alldieweil er es nie dieblich noch räublich aus jenes Gewehren (Lat. *ex domini possessione*) brachte. Add. LandR. *lib. 3. a. 22. ibi* Gloss Germ. eleganter: Es mag wohl seyn / daß ein Ding diebisch wird / daran doch der / welcher es hat / nicht zum Diebe wird / nehmlich / daß man ihn darumb nicht hencken mag. Loquitur enim ille textus commodè huc applicandus de commodatario rem commodatam dolosè non restituente, quô casu aliàs de jure civili verum utique furtum perpetrari constat ex *§. 6. I. de obl. ex del.*

§. 88. Carcere ergò vel relegatione infideles ejusmodi ministros tùm de Jure Civili, tùm etiam de jure Sax. communi puniendos esse, statuunt Dd. Georg. Schultz *Syn. Inst. Imper. ad tit. de publ. jud. lit. I.* Hinc Scabinos Jenenses cuidam Quæstori, qui non modò circiter 4000. florenos in proprios us9 converterat, & pro suis expenderat, sed & pecuniã penes se depositã contrectaverat, pœnam duntaxat relegationis dictâsse, testatur Virg. Ping. *q. 47. n. 1. sq.* Quin tamen pro ratione circumstantiarũ obtinere quoq; extra Elect. Sax possit perpetuæ relegationis, imò & casu non factæ restitutionis, fustigationis pœna, evincit præjudicium, quod affert Carpz. *p. 4. c. 41. d. 1. sub fin.* Licèt ergò Scabinos Lipsienses olim in quodam Forestario jurato, qui magnam pecuniæ summam ex lignorum venditione occultaverat, & in rationes haut contulerat, omninò laquei pœnam dictasse constet ex sententiâ post Weichbild *fol. 154. sub tit.* von Diebstahl der Haußdiener und anderer / *post pr.* Hodiè tamen ex dictis apparet, eò rigoris haud procedi, & id quidem de jure Civili & Saxonico communi, consul. Matth. Wesenbec. *in par. ff. de furt. n. 5.* Damhoud. *in Prax. Crim. c. 113. n. 5.* Virgil. Pingitz. *cit. loc.* Joh. Köppen. *lib. 2. observ. 139. n. 3.* Berlich. *p. 5. concl. 57. n. 31. & seq.* Bocer. *tr. de furt. pœn. crimin. c. 2. n. 137. & seq.*

§. 89. In provinciis verò ipsius Electoratûs Saxonici expeditiùs hoc omne declarat Novella Augusti Constitutio *41. p. IV.* hâc super re lata, tribusque constans distinctis casibus. Quorum primus est, si Quæstor vel quilibet alius officialis summam 50. florenorum usitatæ monetæ non adæquantem; vel saltem non excedentem interceperit. Et hic casus carcere vel exilio temporali mulctari jubetur. *d. c. 41.* §. Wann die Summa solches ꝛc. Ad fustigationis igitur pœnam deveniri tunc nequibit. Imò ipsam, quam diximus, arbitrariam carceris vel exilii pœnam in tantum restringit noviter Clementiss. Saxo *in Edicto peculiari 10. Octobr. anni 1594. promulgato*, ut tunc demum decernatur, si id quod subtraxit, in duplum restituere nequeat delinquens, cujus ipsius Edicti tenorem retulit Carpzov. *in suam pract. Crim. p. 1. q. 85. n. 7.* Alter casus est, si summa subtracta 50. illos florenos excesserit, neque tamen ad centum usque flo-

renos

renos adſcenderit; tunc reus virgis cædi, & perpetuò relegari ordinatur *in d. c. 41.* §. Da ſich aber etc. Ubi nota verba: über 50. fl. erſtreckte. Si igitur exæquata ſolummodo & impleta, nec tamen præcisè ſuperata fuerit iſta 50. flor. ſumma ad priorem caſum ejusque mitiorem pœnam delictum referendum erit. In his itaque binis recenſitis caſibus lenitatem juris communis, tùm Saxonici tùm Civilis, inſectatur Sereniſſimus Saxo; de cujus tenore & fundamentis *in præced.* §§. fuit dictum.

§. 90. Tertiô autem denique caſu, ſi nimirum adminiſtratores Dominicis ex rebus, curæ ac fidei ſuæ concreditis, ſummam centum florenos excedentem ſubtraxerint dolosè aut interverterint, iſtiusmodi præfractæ nequitiæ fures tanto habuit Sereniſſimus Elector odio, ut ſeveriori eos genere ſupplicii, ipsâ nimirum ſuſpendii pœnâ, coërceri juſſerit, *d. c. 41.* §. Würde dann. Neque enim extrema hæc malitia perfidorum atque infidelium Adminiſtratorum ullô aliô cohiberi remedio potuit, quàm ſimiliter extremo ſupplicii rigore adhibito, ut profectò Sereniſſ. Legislator nimiæ ſeveritatis neutiquam ſit arguendus, cùm in aliis furibus ea patibuli pœna vel ob ſummam longè minorem exerceri ſoleat. Eandem pœnam ſtrangulationis, ſi res dolosè in proprios uſus conſumtæ centum florenos excedant, dictitat perfidis Adminiſtratoribus Conſtitutio Henrici Julii Ducis Brunſvicenſium & Luneburg. unterm *dato* den *1. Auguſt. Anno 1594.* verſ. Daß da hiernechſt ein Amptmann/ Schreiber/ Voigt etc. Vid. Dn. Hahn. *de furt. n. 11.* Ad illud tamen ultimum furcæ ſupplicium Judex circumſpectior non devenerit, niſi prius de *perfidia* Adminiſtratoris delinquentis accuratè ſit & liquidò edoctus. Hæc verò imputari vix poterit iis, quibus ſine juramenti vinculo res heriles adminiſtrandi data facultas fuerit, ſecundum tradita ab Henr. Bocer. *de furt. cap. 2. n. 140. & ſeqq.* Præterea ut de dolo etiam atque furandi animo ſatis conſtet, vix *conjectura* probationem ſufficere, ſed delinquentis *confeſſionem* propriam accedere, eamque vel per juramentum, vel vi tormentorum elici debere, docet Carpz. *in pract. crim. d. q. 85. n. 40. & 41.* Denique rigor hujus Conſtitutionis per pœnitentiam excluditur, ſi adminiſtrator tempe-

ſtivè

ftivè pœnituerit, & ad restitutionem sponte se obtulerit. Cùm enim hîc non de glande legenda, neque de tritico, vino, aut oleo legato, sed potius de vita & sanguine hominis, tanquam re inæstimabili, agatur, ideò pœnitentiam, etiam post cit. Constitutionem Electoralem, mitigationem operari, statuit Carpz. *p. 4. Const. 41. def. 6.* proque asserenda sua sententia non solum præjudicia, sed etiam interpretes Andream sc. Tiraquell. *tr. de pœn. temp. aut rem. c. 28. n. 1.* & Jalon *in l. arenam. C. de inoff. testam. n. 5.* allegat.

CAPUT IIX.
De dissolutione Servitiorum.

§. 91. Postquam jura in Constitutione servorum, ut & constitutô jam atque durante servitiô observanda consideravimus, restat denique tractandum, per quæ jura nexus ille inter dominum ac servum colligatus resolvatur iterum. Quod proprios ergo servos attinet, quoad eos distinctio *supra* §. *12. seqq.* exposita, inter statum absolutum atque relatum hîc etiam repetenda. Quoad statum *absolutum* enim non dissolvitur, nisi I. *Morte* ipsorum, ut ita cum extremo demum vitæ halitu evadant tales, quales primâ statim nativitate effingere benignior Natura laboraverat, sed excogitatis mortalium legibus, aut tùm statim impedita, aut certè postmodum elusa ac fine suo frustrata, vid. *§. 2. I. de jur. pers.* Mors enim omnia solvit, imò & ipsos servos dominis adæquat. Habet etiam hoc mors privilegii, ut de statu defunctorum post quinquennium quærere non liceat, eumve qui tanquam liber mortuus est, quasi servilis conditionis fuisset, asserere, *t. t. ff. ne de stat. def. post quinqu. quær.*

§. 92. Alter & communissimus finiendi servitii quoad statum absolutum modus est *Manumissio*, de cujus variis speciebus, modis atque effectibus nostri jam non est dicere instituti: Scatent Eruditorum libri hac materiâ. Sufficiat solum annotasse, per justam manumissionem servos quasi renasci homines, & jura libertatis plenè exercenda recuperare, quin & ipsum

inge-

ingenuitatis honorem adipisci, & hunc quidem beneficentiâ Justiniani, tanquam inseparabilem datæ libertatis appendicem, per *Nov. 78. c. 1.* id tamen sine læsione patronatûs consuetorum jurium, *d. Nov. 78. c. 2.* de quibus itidem silere potiùs, quàm ex aliis multa huc transscribere præstat.

§. 93. Potest III. & *usucapi* libertas. Tutus enim est ab omni servitutis exprobratione, si quis longo tempore (10. annis inter præsentes, 20. inter absentes *l. 16. §. 3. qui & à quibus manum.*) non interpellatus in possessione libertatis bonâ fide fuerit, *l. 2. de long. temp. præscr. quæ pro libert.* Sed malâ fide morato in libertate prodesse non potest longi temporis præscriptio, v. g. ei, qui fugâ discessit à domino, *l. 1. d. t.* E contrario solâ temporis longinquitate, etiamsi sexaginta annorum curricula excesserint, libertatis jura minimè mutantur, ut ex libero servus fieri possit, *l. ult. d. t.* Et sic IV. se modus insinuat, quô quis, injustam servitutem serviens, libertatis suæ possessionem recuperat, *judicium* nempe *liberalis causæ*, de quo *totus titulus in ff.* habetur. Libertatis datio *per testamentum* ad manumissiones, de quibus *§. præc. 92.* dictum, pertinet. Hisque modis ex statu servitutis *absoluto* in liberorum conditionem servos reponi, jus erat.

§. 94. In statu autem *relato* finiri quidem etiam solet, ac frequentiùs forte, quàm in absoluto, servitium, sed ita, ut nihilominus quoad statum absolutum servilis conditionis maneat, & ex dominio unius egrediens in alterius cujusdam potestatem è vestigio relabatur mancipium. Id quod variè solet evenire, v. g. emtione, permutatione, donatione, hereditate, & aliis tot pene modis, quot res cæteræ diversa dominia hinc inde perambulant; cujus rei mentionem jam sub initio disputationis *§. 13.* aliquam injecimus. Huc etiam refero, si quis servus certo domino subjectus, deinceps servus *pœnæ* efficiatur, quippe in metallum, opus publicum, ad bestias, vel consimili supplicio damnatus. Hic enim domini sui familiam simul amittit imperiumque evadit, adeò ut ne à pœnâ quidem liberatus posteà in illius domini potestatem revertatur. *l. 8. §. 12. ff. de pœn.* Sed sive in perpetua *vincula* fuerit damnatus servus, sive in tem-

poralia, ejus remanet, cujus fuit, antequam damnaretur. *d. l. 5. §. ult. ff. de pœn.*

§. 95. Sed cùm penes Christianos servitutis materia sublata sit, modi quoque hi cessant, ideoque hisce vel leviter solummodo tactis, paulo altiùs considerandum erit, quomodo famulitia moderna finiantur, ubi notandum, quòd quoad liberæ conditionis famulos, eorundem ministerium finiatur I. *Ordinariè* & *communiter, elapso scil. eô ipsô tempore, quod contractui invicem habito præstitutum fuit.* Solet enim locationibus tempus ut plurimum præfiniri. *l. 14. l. 24. § 2. ff. loc. cond. l. 4. §. 1. de reb. cred.* adeoque tunc lex locationis servanda est, *l. legem C. loc. l. si merce §. conductor ff. eod.* Mynsing. *decad. 4. Resp. 35. n. 10.* ut ante tempus ex famulitio servi discedere nequeant. Mev. ad Jus Lubec. *lib. 3.* conf. *sup. §. 10. & 24.* Ubi verò nihil nominatim fuerit expressum, ad regionis, in quâ degunt contrahentes, morem respiciendum venit, eaque ipsa locum habebunt, quæ jam supra *§. 24.* monuimus, ubi de reconductione tacita, & in quantum temporis illa repetita censeatur, disquisivimus. Certè Jure Saxon. Electoral. tempus illud regulariter est annus, per Sereniss. Elect. Joh. Georg. II. Policey-Ordnung *de anno 1653. t. 23. c. 2. §. 1.* & quandoque biennium in casu, quando subditorum liberi Dominis præ extraneis servitia præstare tenentur, ceu probat d. Ord. Polit. *cit. tit. 23. c. 3. §. in verbis.* Uff solchen Fall sie auf Begehren ihrer Herrschafft derselben 2. Jahr umb das in dieser Ordnung gesetzte Lohn/vor einen frembden dienen ꝛc. conf. *sup. §. 26. seq.*

§. 96. Quæstio hîc incidit, an liber homo se obligare queat alicui ad perpetuarum operarum exhibitionem? Singulare est, quòd Jure Civili major 20 annis, pretii participandi causa se venundari passus, amissâ libertate perpetuæ servituti subjiciatur, *§. ult. I. de J. pers.* fitque hoc ob dolum animique levitatem coërcendam: Alii verò ipsa paupertate coacti in servitutem sese vendebant, quos id propter magis rectè perpetuos mercenarios, quàm servos, appellari vult Grot. *de J. B. & P. l. III. c. 14. n. 2.* Quod idem venditionis genus nec Reipubl. Israëlitarum, suis tamen sub conditionibus, erat incognitum,

vid.

vid. *Deut. XV, 12. seqq.* Verùm noſtra quæſtio nullam libertatis ademptionem præſupponit: operari enim vel miniſteria liberalia ſubire, etiam in perpetuum, non eſt quædam ſtatim ſervitutis ſpecies, Vital. Camban. *in tr. clauſ. ſup. quæſt. an poſſit renunciari beneficio ceſſionis bonor. n. 4. pag. m. 527.* Eoquè minùs ergo veremur, affirmativam hîc amplecti, & aſſerere, tale pactum miniſterii perpetui eſſe omninò validum. Nobis aſſentitur Matth. Coler. *proc. Exec. p. 1. c. 9. n. 24. ſeqq.* Adſtipulatur quoque *l. viam 10. C. loc. & complures alii textus ſat evidentes.*

§. 97. Iſta tamen obligatio non hoc operatur, ut præcisè teneatur ſervire, & nolens volens ad operas exhibendas cogi poſſit, qui eas ita in perpetuum elocavit; ſed obligatio iſta debet accipi cauſativè, prout loquitur & diſtinguit Baldus *in l. antiquitas 14. n. 8. C. de uſufr.* ita videlicet, ut ſi nolit ſervire ad præſtandum intereſſe teneatur, cùm & aliis in facti obligationibus per τὸ intereſſe præſtationem liberatio contingat, juxta vulgatum axioma *ex l. 13. §. 1. ff. de re jud. l. 72. l. 75. §. fin. l. 114. ff. de V. obl. l. 12. de act. empt. l. 4. C. eod.* Eâque ipsâ interpretatione ex recentioribus quoque utitur Bachovius, hancque in hoc themate reſponſionem veram vocat ac ſimplicem, *in Comment. ad §. ult. I. de Jur. perſ. n. 1.* Jung. Vinn. *ad §. 4. Inſt. d. tit.* Quod ita receptum tum favore libertatis, quæ infringitur, ſi quis corpore ſuo teneretur aliquid operari invitus. *arg. l. Titio centum. §. Titio ff. de condit. & demonſtr.* tum quia id intentioni contrahentium congruum, quæ factum non propter operam, ſed operam propter uſum & commoda reſpicit, uti colligit Donell. *lib. 15. Comm. jur. Civil. c. 3.* Nec modò id obtinet, ſi factum præſtari non poteſt, ſed etiam ſi faciendi licentia penes debitorem ſit, & ſola ejus voluntas deficiat. Gomez. *2. Var Reſol. c. 10 n. 22.* Baſlador. *lib. 1. rer. quotid. c. 6. §. 1. n. 1. & ſeq.* Wiſſenb. *ad ff. de V. Obl. th. 8.* ubi dubia contraſentientium allegat.

§. 98. Sed redeundum ab operarum perpetuâ, ad temporalem obligationem, atq; videndum eſt de his, qui miniſterium, antequam deceat, relinquunt. Et hi quidem, ſi copia eorum haberi poſſit, cogendi ſunt, ut per totidem dies, quibus abfuerunt, adhuc ſerviant. *l. 14. §. 1. ff de ſtat. lib.* Wehner *in obſerv.*

488

Pract. verb. Zunfft: ubi artis mechanicæ discipulos suâ culpâ absentes, nisi serviendo id tempus suppleant, literas testimoniales non impetrare scribit. Sed si famuli nullo modo adduci possint, ut operas ulterius præstent, ex jure communi sic Domino consulitur & servi coërcentur, ut ipsis nulla debeatur merces. Castr. *in l. 1. C. de stat. & imagin.* Bonacoss. *in tr. de serv. & famul. q. 213. & q. 241.* in tantum ut pro præterito etiam tempore, quo servierunt, nulla merces debeatur, & soluta repeti possit. *l. 15. §. 6. ff. loc. l. 55. §. 2. ff. eod.* Sichard. *ad l. 14. C. locat.* Treutl. *vol. 1. Disp. 29. th. 2.* Prætereà quoque interesse Dominus propter intermissa servitia exigere potest. *l. si fundus l. si uno §. item cum quidam ff loc. l. fin. C. de condict. ob caus.* In hujus verò deductione, non modò eæ veniunt operæ, quibus caruit dominus, sed etiam ea damna aut lucra cessantia, quibus fuga servi causam dedit. *l. hac lege ff. si quadr. pauper. l. fin. de his, qui effud. vel dejec.* quod interesse quoque Dominus juramento in litem taxare potest. Plotin *in l. si quando C. unde vi n. 190.* Jason. *in l. si prius ff. de nov. oper. nunc. n. 48.* ubi hanc sententiam communem esse ait.

§. 99. Quia tamen τοῦ interesse determinatio admodum difficilis est, & juramenti assertio tum animæ jurantis, tum famulorum juri periculosa, ideoque & hîc sicut in aliis causis statuta & jura specialiora non rarò certum quid definierunt, quo dominus locô interesse contentus esse cogitur. Sic quando famulus discedit à domino ante tempus finiti servitii absque causa, de Jur. Saxon. tantundem ipse domino in compensationem desertarum operarum præstare tenetur, quantum mercedis ei dominus promisit, & si quid mercedis jam acceperit, id duplicatum mulctæ nomine hero reddere tenetur. Matth. Coler *decis. German. 201. n. 12.* LandR. *l. II. art. 32. in fin.* Juri Saxonico jus Hamburgense *p. 2 tit. 9. art. 3.* adstipulatur. (Eamque dispositionem sequitur jus Lubec. ex parte. Præter amissionem siquidem mercedis, etiam famulos coërcet mulctâ, quæ æquat promissæ mercedis dimidiam, domino, quem suo servitio intempestivè defraudat, solvendâ. vid. Dn. Mev. ad jus Lubec. *lib. 3. tit. 8. art. 5. n. 16.*) Hac de re Ordin. provinc. Sax. *de a. 1543.* Von den ungehorsamen Dienstbothen / §. do sich auch ein Dienstbothe/

hunc

hunc in modum disponit: So auch dem jenigen/ dem er aus dem Dienste gangen/ derhalben Schaden erfolget/ den soll der ungehorsame Dienstbothe zu erstatten / und seinen Lohn zu entrathen schuldig seyn. Quæ dispositio renovata est per novissimam Ordin. Polit. Elect. Saxon. *tit. 23. c. 4.* additâ in contravenientes pœnâ graviori. Illustrationis gratia verba adjicienda esse putavimus, quæ sequentia sunt: So wollen wir angeregte Landes Ordnung dahin ferner erkläret haben / daß demselben an allen Orthen / auch in anderer Herren Lande fleißig nachgetrachtet/und wann er erlanget und eingebracht / gegen Klägers Caution, oder an statt dessen/ seines Gerichtsherren Schein und Zeugnüs / entweder an den Orth / da er entlauffen / oder in das nechste Ambt abgefolget / daselbst/in Krafft dieser unser Ordnung nach Beschaffenheit der Umbstände / wann nehmlich die Begünstigung groß oder gering / entweder von den Gerichtsherren selbst/ mit etlichen Wochen Gefängnüß gestraffet / oder auf vorher eingeschickten unterthänigsten Berichte und erfolgter unserer Resolution, in die Eysen geschlossen/ andern zum Exempel / auff unsern Festungs-Bau geführet / und uff ein Jahr/mehr oder weniger/bey Wasser und Brodt daselbst zu arbeiten/ angehalten. Nec multum discrepat Illustriss. Dominor. Ruthonum eâdem in causâ Ordinatio, his verbis: Erstlichen soll sich kein Knecht/ Magd und Dienstgesinde unterstehen/ ehe die Zeit seiner Miethe vorbeygestrichē/auß dem Dienste ohne des Herren Willen/ oder der Obrigkeit Erkäntnüß/ bey Verlust des Lohns/ und anderer willkührlicher Straffe / auch Erstattung des Schadens / so seinem Herrn daraus erwachsen möchte / zu begeben / und doch nichts destoweniger über die Straffe / wieder in seines Herrn Diensten zu begeben / oder demselben einen andern annehmlichen Dienstbothen zu verschaffen/ angehalten; auch auff Ansuchung des Herrn von iedes Orths Gerichten zu solchen Ende handfest gemachet werden 2c. Illud insuper notandum venit, quòd indumentis, quæ ipsi initio servitij dedit, ut anno uteretur, Dominus famulum intempestivè recedentem privare possit. Bonacoss. *de fam. q. 79.* Et si ea secum abstulerit aufugiens, furti tenetur. Boss. *in Prax. Crim. de jud. n. 53. & seq.*

§. 100. Huc refero, quòd Jure Civili servi propriè dicti

fugientes à domino sui ipsius furtum facere intelligantur *l. ancilla 60. ff. de furt.* præterea, quod rescripserit Imperator Constantinus, ut, si fugitivi servi deprehendantur ad Barbaros transeuntes, aut pede debilitato amputentur, aut metallo dentur, aut qualibet alia pœna afficiantur. *l. 3. C. de serv. fugitiv.* Ubi nos quidem non dirimemus controversias Doctorum hìc agitari solitas, cuinam videlicet circa hasce tres alternativas pœnas competat electio, an reo, ut minimam possit eligere, an potius Judici, an verò ipsi domino? Parùm enim hinc utilitatis ad hodiernum aliis vivens moribus & servitutem ignorans redundabit seculum. Notabile saltem hoc adducimus obiter, (1.) *unius* duntaxat pedis amputationem *d. l. 3.* juberi, quia novo jure, si criminis qualitas membri abscissionem exigat ex his, quæ natura duplicata concessit, unum saltem abscindi, nec ad utriusque pedis, vel manus avulsionem reus damnari potest, *Nov. 134. c. ult.* & (2.) deinceps caveri, ut amputato *pede*, non alio membro, plectatur aufugiens servus. Qua parte enim quis peccavit, eâdem, quoad ejus fieri potest, mulctari & puniri debet. Fugitivo igitur pes hìc amputatur, ut alibi manus falsario, blasphemo lingua. Præterea & is, qui fugitivum celavit, fur est Jure Civili, *l. 1. pr. ff. de fugit.* Et cùm non leve sit delictum, fugitivos receptare famulos, ideoque jure communi in ejusmodi receptatores restitutio unius paris, & mulcta 20. solidorum, seu ut communiter explicant, aureorum constituta est *l. 4. C. de serv. fugit. ibique* Sichard. *n. 1.* Hodie verò pœna *arbitraria* obtinere videtur. Porrò quoad jus Civile SCtum extat, quô fugitivos requirendi etiam in ipsis Senatorum prædiis potestas conceditur. Est etiam Epistola Divorum Marci & Commodi, qua declaratur, & Præsides, & Magistratus, & milites dominum adjuvare debere in requirendis fugitivis, & ut hi, apud quos delitescant, puniantur, *d. l. 1. §. 1. & 2.*

§. 101. Sicut autem contra sævitiam, vel famem, vel intolerabilem injuriam à Domino illatam, nec olim servis auxilium denegabatur; ita ut in ipsius potestatem nunquam reverterentur. *§. ult. I. de his qui sui vel alieni juris.* Sic multo magis hodie liberæ conditionis famulas excusabitur ob talem causam herili

rili domô digrediens, neque mercedem perdet, quantùm quidem ejus pro rata temporis, quo famulatus est, ad eum pertinuerit. Regulariter quidem, quamvis famulus alium sui similem domino offerat, ad hoc, ut dimissionem impetret, audiendus non est, sed aut pœnam solvat aut servitia continuet, necesse habet. Ubi enim fides & industria personæ eligitur, ibi alius pro alio substitui non potest. *l. 9. ff. de curator. furios. ibique* Gloss. & Dd. Sunt tamen plures justæ & probabiles causæ, ex quibus discessus ex servitio licitus & impunis est. Quapropter si legitimam discedendi causam habeat minister, mercede sua defraudari non poterit, proportione tamen tunc adhibitâ temporis, quo servivit. Land R. *lib. 2. art. 33.* Hæ autem causæ probabiles cùm sint variæ, cognitionem super his rectè ad Magistratum remittit citata superius Dominorum Ruthonum Ordinatio. Generaliter autem & jure Communi Saxonico præsertim præter allegatam sævitiam, quæ justam recedendi causam præbet Dn. Mev. ad Jus Lubec. *lib. 3 tit. 8. art. 5. n. 36.* binæ, quas hinc proximè explicabimus, eminent, matrimonium sc. ac tutela, quæ non ità communiter obveniunt, ut primum dissolvendi ministerii modum frequentari diximus *sup. §. 95.*

§. 102. Devenimus itaque ad II. dissolvendi ministerii modum, qui est nexus matrimonialis. Ita enim Land R. *l. 2. art. 33.* Welcher freyer Knecht ein ehelich Weib nimmt/ der mag wohl aus seines Herrn Dienst kommen. Siquidem famuli hodiè nostri, cum sint liberæ conditionis, Juris Justinianei regulis conveniens matrimonium etiam inire possunt. Georg Schultz *Synops. J. ad t. 10. de nupt. lit. b.* Tale autem inter servos propriè dictos non agnoscebat Jus Civile *l. 3. C. de incest. nupt.* quia scil. servus erat planè ἀκέφαλος, prætereà nec sine domini voluntate quicquam polliceri de se poterat, & quod maximam ponebat remoram, juris civilis, ex quo nuptiæ veraque matrimonia æstimabantur, *pr. I. de Nupt.* omninò non communionem habebat. *conf. sup. §. 12.* Uxores igitur servorum non conjuges, sed contubernales Romano jure dicuntur, *l. 2. §. 33. ff. de instr. leg.*

§. 103. Recedit vero ab isthac Juris Civilis subtilitate Jus Canonicum & vera inter servos quoque matrimonia etiam invitis

vitis dominis contrahi, non dubitat statuere. *c. 1. X. de conj. serv.* ubi & ratio additur hæc, quòd servus à sacramentis Ecclesiæ non sit removendus. Et quidem, si per sacramenta ibi quælibet res à Deo ordinatæ, & sic institutione ac benedictione divini Numinis consecratæ intelligerentur, benè se res haberet. Cùm verò non isto latiori, sed aliô, stricto proprioque sensu matrimonium Romanis Doctoribus dici Sacramentum satis noverimus, quô sensu quidem Nostrates Orthodoxi Theologi conjugium Sacramentis Ecclesiæ accenseri nolunt; nobis, cæteroquin hanc Juris Canonici de vero Servorum conjugio dispositionem approbantibus, hujus rei aliam, quàm adducta Catholicorum est, quærendam rationem esse, rectè judicavit Magnif. Dn Zieglerus, *Præceptor mihi honoratissimus in Jure Canon. ad Lancellot. Instit. lib. 2. t. 11. §. 7. de Nupt. ad verba : ab aliis sacramentis pag. 422.* eamque in hoc ponit, quòd servi non debeant excludi ab his, quæ sunt Juris Naturæ.

§. 104. Equidem verum est, quòd servus ac serva non habeant potestatem corporis sui, ut videantur, nec utendum istud dare posse aliis, cùm absolutè sint dominis suis subjecti. Verum enim verò ista dominorum potestas, quanta quanta etiam illa sit, utut quoque illibatam eam servari oporteat, *§. ult. J. de his qui sui vel al. Jur.* tanta tamen esse non debet, ut eludatur inde ac impediatur ipsa ordinatio omnium dominorum domini, supremi in cœlis Numinis. Nec obstat, quòd bonis commodisque matrimonii servitus utique multum adversetur, tum quia individua illa vitæ societas actu quandoque secundo seu exercito plane destituitur, postquam scil. in domo domini sui servus, ut & in sui domini ædibus serva morari, & sic separatim invicem habitare, sæpe etiam in remotissimas provincias pro voluntate ac emolumento heri abire, atque sic invicem discedere plane cogantur; tum quia easdem ob rationes debitum sibi conjugale reddere pro lubitu non possunt, tùm denique, quia prolem ipsi alere nequeunt, omnia quippe dominis suis acquirentes, quem effectum cum debitis & consuetis servitiis nullo modo tollit Jus Canonicum aut restringit. Hæc, inquam tamen non obstant veritati & justitiæ servilis matrimonii, quippe quæ actum secun-

dum saltem & exercitium gravant , nequaquam verò conjugii substantiam infringunt. Nec enim illæ difficultates cum simplici & naturali coëundi impotentiâ rectè comparabuntur.

§. 105. Quodsi verò Dominus insolita posceret & talia, quæ matrimonio contracto planè repugnant, non obligabitur hîc ad obsequium servus de Jure Canonico. Neque tamen si quid minùs consuetum mandaverit dominus, obedientiam protinus debet detrectare servus , ut maximè ad tempus usus matrimonii hinc sit suspendendus. Temperabit & ipse sibi dominus, ne difficilem se nimis matrimonio isti præbeat. Hincq; volunt Canonistæ, servum, qui domino consentiente matrimonium contraxit, magis ad debitum reddendum , quàm ad obsequium teneri. Dn. Zigler. *l. c. verb. & consuetis obsequiis. ibique* allegatus Mart. Azpilcuet. Navarr. *tom. 5. c. 22. n. 33.* Simili æquitate videtur motus Cardinalis Hostiensis, cùm defendit contra alios Canonistas, quòd Dominus nequeat vendere servum suum uxoratum alicui, qui vult eum ducere ad terras remotiores *ad t. x. de conjug. serv. pag. m. 344. b.*

§. 106. Post matrimonium sequitur III. ministerii dissolvendi modus, *Tutela* nimirùm *oblatio.* Mev. ad Jus Lubec. *lib. 3. tit. 8. art. 5. n. 34.* Sicut enim ipso jure Civili servus etiam testamento vel cum libertate , vel etiam sine libertate tutor datus, libertatem ad minimum tacitè accepisse videtur, & per hoc rectè tutor existit. *§. 1. I. qui test. tut. dari poss.* ita multò magis procedet, ut, si ad ministrum conditionis liberæ tutela quædam deveniat, simultaneam herilium negotiorum expeditionem non admittens, ista ad ministerium perficiendum obligatio non debeat impedimento esse , quò minùs tutela suscipiatur: sed legitima hæc sit causa, cur dimittere dominus eum teneatur. Quod ipsum disertè affirmat Jus Saxon in Land R. *lib. 2. art. 33.* Ratio est, quòd tutela & cura munus sit publicum, *§. 1. I. de excus. tut. vel cur.* Jus autem publicum, seu quod publicè est utile, privatorum pactis immutari, ut & locatione & conductione famuli, etiamsi ritè factâ, elidi nequit, *per l. 20. ff. de relig.* publicè siquidem interest, ne hi, qui ob ætatis lubricum mentisq; imbecillitatẽ sibi prospicere suisq; rebus superesse nequeunt, indefensi relinquantur.

§. 107. Et cùm hæc ratio eadem sit quoad omnes tres tutelarum species, in istis singulis quoque idem juris observabitur, & propter eandem similitudinem etiam ad curatelam applicabitur. Idque multò minus hodie habet dubii, dum ex Ordin. Polit. Caroli V. *Augustæ anno 1548. promulgatâ* & à Rudolpho II. *Francofurti anno 1577.* confirmata rubr. Von der Pupillen und minderjährigen Kindern Tutorn &c. nullus omninò tutor, sive testamentarius, sive legitimus, sive dativus tutelam rectè administrare potest, nisi ipsi primò à Judice administratio decernatur & committatur. Quoad curam etiam cognitum est, quòd ex generali quadam ubique locorum, præsertim in Germaniâ, receptâ consuetudine Tutela & Cura cohæreant, ita ut Tutor post pubertatem Curatoris officium usque ad adultam pupillorum ætatem, vel absque novo Judicis decreto, sustineat, sicque tutela in curam transeat, Andr. Gail. *lib. 2. obs. 96.* Quin etiam ex hactenus dictis ad quævis munera publica sine absurditate infertur, quòd famuli, cui ad ea legitima vocatio contingit, discessus à ministerio permittatur, ut docet Mev. ad Jus Lubec. *cit. art. 5. n. 35.*

§. 108. Quartus solvendi ministerii modus *mors* est, sive famuli, sive domini. Licèt enim obligatio ex locatione conductione *rerum* ad hæredes transeat, *§. ult. I. l. 10. C. de locat. cond.* secus tamen se res habet in locatione conductione operarum, ubi quippe personæ industria fuit electa, per *§. solvitur 5. I. de soc.* LandR. *lib. 1. art. 22.* Possunt autem eo casu heredes servi demortui mercedem, nonnisi pro ratâ temporis, quô serviit defunctus, exigere. LandR. *l. c.* B. Franzk. *ff. ad. tit. loc. cond. n. 193. & seq.* Man ist seinen Erben nicht mehr zu geben schuldig / dann Er zur Zeit seines Absterbens verdienet. Nec id à jure Civili alienum esse putamus. Nam & ex eo stipendia, quæ ob laborem & operam illiberalem præstantur, & propriè Mercedes appellantur, ut sunt famulorum domesticorum, pro ratâ tantùm servitii præstiti solvuntur. *arg. l. 16. §. item cum quidam ff. loc. l. 10. ff. de ann. leg.* Bonacoss. *de fam. q. 103. n. 5.* Capyc. *dec. 27. n. 21.* Aliud obtinet, quando pro liberali operâ vel officiô, magis honoris & quasi donationis gratiâ, quàm mercedis pro labore solven-

vendæ causâ, salaria præstantur. Tunc si intra annum, qui officium sustinuerant, moriuntur, etiam non emerita ad hæredes integra transmittuntur, uti de salariis Advocatorum, Doctorum, Professorum, Magistratuum & qui alias functiones publicas obeunt, jure cautum est. *l. 4. ff. de off. assess. l. 1. §. 13. ff. de extraord. cognit. l. 11. C. de proxim. sacror. scrin. l. ult. C. de domest. & protect.* Caroc. *de loc. cond. p. 2. tit. de off. Assess.* Bolognin. *ad Auth. Habita. C. ne fil. pro patr. n. 72.* Mynsing. *3. observ. 8.* Carpz. *p. 1. Const. 1. def. 34.* & Dn. Struv. *Ex. 7. th. 11.*

§. 109. Quod de morte famuli dictum est, ad mortem quoque Domini extendendum venit. Et quamvis hoc in casu ex jure communi integram mercedem pro toto anno solvendam esse famulo, existimet Bonacoss. *cit. loc. q. 82.* Tamen ex dispositione Juris Saxonici, idem est quoad mortem ipsius domini, quô defunctô heredes ipsius nonnisi in diem trigesimum usque de alimentis prospicere tenentur famulis, quô intereà temporis illi circumspiciant de aliâ suis rebus consulendi occasione: mercedem verò solvant heredes non ulteriùs, quàm usque ad tempus obitûs patrisfamiliâs prædefuncti, Land R. *l. 1.* ubi tamen additur, ut, si quidem heredes ita jubeant velintque, famuli debeant usque ad constitutum tempus manere, integræ sic mercedis solutionem expectantes, quod tamen negat Bonacoss. qui *d. tr. q. 174.* post Alberic. *in l. inter artifices ff. de solut.* asserit, famulos post mortem domini invitos cogi non posse, ut hæredibus servitia præstent, cùm sit personalis obligatio inter Dominum & servum activè & passivè non transiens ad hæredes. Coler. *p. 1. dec. 69. & 201.* Altereà Jure Saxonico statutum, ut etiamsi majus fortè, quàm pro quantitate ejus temporis debetur, sint consecuti famuli, hæredi tamen id reddere haud teneantur.

§. 110. Hâc occasione V. videndum, si prædium quoddam sit legatum venditumve, an ejus prædii famulos retinere debeat novus dominus, legatarius seu emptor? Quod utiq; negandum putamus, quoad legatarium quidem *per l. qui fundum 32. §. 1. ff. loc. cond.* quoad emptorem *per l. si merces. 25. §. 1. eod.* Si enim ad hoc non tenetur successor Universalis, ut *prac. §.* dictum, multò minus tenebitur successor singularis, *l. emptorem 9. C. loc.*

Quodsi damnum incurrant per hoc ministri, testatoris quidem famuli fortunæ suæ id imputabunt, quia morte patrisfamiliâs exspiravit simul contractus eorum; venditoris autem ministri ad dominum venditorem habebunt regressum, cujus obligatio per istam prædii venditionem neutiquam soluta intelligitur, ad hoc, ut à præstatione τὸ interesse famulorum liberetur dominus, *d.l.32.l.25.§.1.ff.loc.cond.*

§. III. Denique *ultimò* servitium finitur & famuli justam recedendi impetrant causam, si non porrigatur victus necessarius; Wenn der Herr seinem Gesinde die Nothdurfft an Essen und Trincken nicht darreichet. In hoc tamen casu non statim famulo liberum erit suâ voluntate deserere ministerium, sed priùs apud judicem de eo conqueri debet, ubi nec delicatus famulus, nec durus dominus audiendus est, sed à judice potiùs determinandum, quid pro necessitate corporis ad exhibendas operas sufficiat. Et si illud in posterum negetur, liber à servitiis famulus declarari debet. Mev. ad Jus Lubec. *cit. tit. 8. art. 5. n. 37.*

Et hæc pro instituti ratione jam jam sufficiant. Dicendum quidem adhuc esset de juribus famulorum extraneis, quorum sub initio disputationis mentio facta est, §. 15. Sed ne labor noster justam Disputationis formam excedat, pedem hîc figimus, hoc alterum membrum alii loco & tempori, si occasio ita tulerit, cum DEO tractandum reservantes, cujus benignissimo Numini intereà pro viribus hactenus concessis soli sit laus, gloria & honor in sécula seculorum.



PRæclarâ cum laude ſuprema brabea Themiſtos
Noſter SALÀ Tibi confert; veſtigia MAGNI
Felix inſequeris PATRIS ſublimibus auſis.
Mox poteris meritus ſummo AULÆ fulgere in oſtro
Ecce Tibi tanti nunc panditur orbita Fati!

Nobiliſſimo Dn. Doctorando amicâ m. & m. animitùs gratulat.

Joh. Volk. Bechman/
D. & Præſes.

Ignea vis animi, & probitas suavissima morum
Virtutem illustrant, *dulcis amice*, Tuam.
Astra Tibi plaudunt, Magni vestigia Patris
Dum simili semper nobilitate premis.
Macte gravi virtute! Tibi Respublica debet
Spem validam. Studiis par Tibi fama venit.

Hisce Nobilissimo Dn. Doctorando, Magni Viri egregio filio, Fautori suo inter paucos dilecto, quem dotes ingenii exornant, rara pietas condecorat & exquisitissima Eruditio admirationem omnium conciliat, amorem infucatum exhibere, ejusq; supremis Jurium Honoribus Magnatum favorem & prosperrima quaque apprecari voluit

Heinricus Linck / D.

SEin unbeschrenkter Fleiß und himmlische Gedankken
Sind nun / Herr Doctorand / bei allen lieb und theur /
Itzt laufft sein grosser Ruhm auch in der Tugend Schrankken /
Und lehrt / daß Knechtschafft sei ein stätes Fegefeur.
Des Vaters hoher Glantz / wird nun verdoppelt stehen /
Weil Er den Gegenschein mit gleichen Strahlen gibt /
So kan ein Adlers-Kind auch untern Sternen gehen /
Wann es / nach ädler Art / den freien Himmel libt.
Nun wird di Tugend auch Jhm Ehren-Säulen bauen /
Di keiner Zeiten Rost noch Schimmel mag verzehrn /
Es wird die letzte Welt auch seinen Nachruhm schauen /
Und seine Künste mit Gedächtnüß-Opfer ehrn.

Mit disen wenigen hat dem Herrn Doctoranden / als ihrem Hochgeehrten Tischglide glückwünschend aufwarten wollen

Jhr Excellentz Hn. D. Lincken
Sämbtliche Tischgesellschafft.

IN

SURGENTES HONORES

Viri Nobilisſimi atque Clarisſimi

DN. JO. HEINRICI ALBERTI,

Fautoris & Amici ſui honoratisſimi,

cum pro Licentiâ

De jure Famulorum hodiernô, quatenus veteri Servorum juri competit aut ab eo diſcrepat, diſputaret,

* * *

Anthologos inter, quos Lipſia jungit, amicos,
  Hunc Tibi me memini præcinuiſſe diem.
Carminis exigui tunc ultima verba fuére:
  Jure in utroq; favens mox Tibi ſurget honos.
Nunc ſurgit tantùm quantùm exoptare volebam;
  Ut videas falſi nil habuiſſe modos.
Falſus in hôc unô ſum, ſi tùm falſus, honores,
  Lipſia quos poterat, quòd Tibi Jena paret.

gratulabundus ſcrib.

M. Jo. Chriſtianus Hetzerus, Lipſienſis.

Tutta la SALANA rallegra s'hoggi.
E ſteſſa Themide a' dovuti eloggi
Del ſaggio ſignor ALBERTI s' impiega
Il quale 'l dritto de' ſervi ci ſpiega.

Con ciò al Nobilisſimo & eruditisſimo Signor Riſpondente Amico ſuo honoratisſimo fà fede quanto ſi conoſca obligatisſimo ſervitore

Henr. Ludolphus Rademacher, Embricâ Cliviacus.

For-

494

Fortior est virtus unita. Hinc millia cessent
Vota. Synopsis adest: vive valeque D. I. U.

In Nobil. & Consultiß. Dn. Doctorando, Domino, Fautori & Commensali suo æstumatissimo in compendio verborum gratulabatur prolixissimè

M. Heinr. von der Lith.

Horace Liv. IVme. Od. 4.

Les Heros les plus grands nous naissent des Heros,
Ils marchent avec soin & gloire sur leurs traces;
Un cheval genereux vient d'une noble race,
Et l' aigle éclot point de fébles pigeonneaux.

Que cela suffise; Monsieur, *pour avouër que vous vous rendez tres digne fils d' un si grand Pere, & pour témoigner que je suis*

Vôtre treshumble Serviteur

Martin Strakerian.

